



# APHORISMI

DE

# COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS.

EDIDIT

MAXIMILIANUS STOLL

S. C. R. A. MAJEST. CONSIL. MEDICINAE CLINICAE PROFESSOR P. O.

EDITIO SECUNDA.

VINDOBONAE, APUD J. G. HEUBNER.

1822.



# LECTORI.

Aphoristicum Boerhavii dicendi genus, paucis multa complectens, mihi semper est plurimum probatum.

Placent enim fideliter casteque observata, et canones inde legitima inductione confecti, significanter dein, lucideque expressi. Haec dos est Boerha-

vianis; hoc mihi exemplar fuit: quod si non fuere assecutus, erunt, qui melius facient, sed tum solum, si Boerhavium *approximando* sequantur. Verum uti haec probo, ita displicet illa, ut nunc est, ventosa loquacitas, quae sub amplo verborum volumine nil solidi tenet: displicet illa opinionum vertigo, qua ars laborat, ubi hypothesis hypothesin trudit.

En cur summi Viri Aphorismis de cognoscendis et curandis febribus meos junxerim, eosque non paucos, nec absque labore sane. Nempe Illius quaedam aut expungenda videbantur, aut refingenda: alia aliter digerenda: quae

utique Vir immortalis, si Illi daretur, Recentiorum observatis nunc uti, pro ingenii sui admirabili felicitate multo abundantius praestitisset. Quippe febrium contemplatio magis solers claros in arte Viros exercuit hucusque profecto multos, neque id incassum: crevit hinc observationum silva, unde selectus institui, et axiomata condi debebant, Boerhavianis inserenda.

Actorum rationem me debere lectori, paulo magis articulatam, et quae omissa, mutata, inserta propius spectet, lubens fateor: verum, cum omnium nequeam, intra arctos epitomes cancellos clausus, paucorum nolim, id

negotii in tempora praelectionum distuli.

Sed vel sic noverit peritus lector, quid praestiterim, et hosce meos conatus aequi faciet.

---

# APHORISMI

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS

FEBRIBUS.

## FEBRIS IN GENERE.

I.

Febris frequentissimus morbus, plerorumque morborum aut initium, aut comes, aut finis est, eorum quoque, uti et mortis, et sanationis optima causa; hinc accuratius explicanda.

II.

Cujus quia abdita habetur natura, summa ope cavendum ab omni errore in illa indaganda.

III.

Errori tamen facilem hic occasionem praebet ingens numerus symptomatum, quo plerumque stipatur, et sine quibus febris esse potest.

IV.

Ut ille vitetur, opus erit ex infinitis illa phaenomena sola eligere, quae omni febri semper adsunt, quorumque cognita praesentia om-

nes medicos docet febrim adesse; quorum absentia judicant, hominem febre carere.

V.

Dein ex his detectis, riteque expensis natura febris individua invenienda erit.

VI.

Febris omnis calorem praeternaturalem, pulsuum a naturali conditione alterationem, atque aliam quamcunque functionem, vel etiam plures, laesas habet; vario id tamen tempore, gradu, successione.

VII.

Haec vero derivanda sunt ab irritabilitate cordis et arteriarum aucta, et exstimulata, a quocunque demum stimulo, et vitae sic irritatae conatu adversus stimulum inimicum.

Igitur febris est affectio vitae, conantis mortem avertere.

VIII.

Hinc febris notio nec a fermentatione, neque ab humorum dissolutione, neque ab eorundem coagulo, aut densitate universim est repetenda. Ne forte quasdam ipsius febris causas remotiores, aut illius effectus habeas pro causa proxima,

IX.

Ex his quoque colligitur, febrim morbum esse non hujus solum, vel illius humoris, sed totius substantiae.

X.

Ubi ea irritatio tanta est, ut morbus velociter, et cum periculo decurrat, febris acuta dicitur.

XI.

Ubi tarde, idque cum periculo, vel etiam sine eo, lenta vocatur.

XII.

Utraque communis sive epidemica, vel huic illique homini singularis.

XIII.

Acuti febriles morbi vocantur, quos dicta febris (X) comitatur; chronici febriles autem, in quibus adest febris (XI).

XIV.

Hinc illorum omnium (XIII) explanatio pendet a cognita prius febris natura:

XV.

Quam cum in irritabilitate cordis et arteriarum aucta posuerimus, eaque augeri, incitarique possit a causis numero et varietate in-

finitis, patebit, febris causam proximam infinitas causas pro suis proximis agnoscere:

XVI.

Quarum binae semper conjungi debent ad producendam febrim; praedisponens una, atque altera excitans: cum neutra sola sufficiat.

XVII.

Causae excitantes sunt numero ferme infinitae; cum quidquid nimium stimulare cor et arterias possit, ad causas febriles pertineat: sola quoque corporis disproportio ad ambientia, febris fit causa.

XVIII.

Causae excitantes fere solae notae, et saepius determinandae; praedisponentes, ut plurimum, ignorantur.

XIX.

Causa praedisponens per febrim ipsam tollitur, aut in perpetuum, uti e. g. in variolis, et morbillis; aut pro tempore, uti in febribus aliis plerisque.

XX.

Nonnunquam ea solum ex parte aufertur; inde relapsus.

XXI.

Causae excitantes, utut (XVII) innumerae, ad certas nihilominus classes reduci possunt: sunt enim quaedam singulares; aliae vero universales.

XXII.

Singulares uni tantum, alterive individuo ita insunt, ut in pluribus eodem simul tempore non reperiantur. Universales vero, aut populares pluribus communes sunt, eadem tempestate eodem fere modo affectis.

XXIII.

Propiores singulares causae (XXII) referri possunt ad quaedam capita: α) Ingesta acria, cibi, potus, condimenti, medicamenti, vel veneni titulo, eadem donata hac proprietate, ut digeri, moveri, excerni nequeant; aut ea copia assumta, ut irritent, suffocent, obstruant, putrescant. β) Retenta intra corpus, quae excerni solebant, ob frigus, unctiones, animi affectus tristes, cibos, potus, medicamenta, venena, aërem nebulosum pinguem, quietem, exercitia solita remissa, obstructiones, compressiones a contentis, vel ambientibus γ) Gesta, ut motus nimius animi, vel corpo-

ris, calor, aestus. δ) Applicata externa, acria pungentia, rodentia, lacerantia, urentia, inflammantia. ε) Quae humores, horumque motus valde immutant, ut multa externa, vel interna, fames, evacuatio, pus, aqua, ichor, hydropicorum, empyicorum, serum acre alicubi collectum, bilis accensa, inflammatio, suppuratio, gangraena, cancer, vigiliae nimiae, acriora cujuscunque rei studia, venus nimium culta etc.

XXIV.

Causae universales (XXI) aut certae annorum constitutioni periodice recurrenti debentur, aut annuae mutationi, aut intercurrenti cuidam universali miasmati.

XXV.

Hinc febrium momentosa divisio nascitur; cum causae singulares dent febres sporadicas, itemque singulares; universales vero stationarias, annuas, et epidemice intercurrentes.

XXVI.

Sporadica febris est a vitio quodam domestico, et singulari, tempus anni aut constitutionem epidemicam non respiciente, utut illa

in epidemicum morbum plerumque convertatur, aut cum eodem jungatur, exemplo variolarum etc.

---

## FEBRIS STATIONARIA.

XXVII.

Stationaria certo annorum curriculo continetur, sensim increscit, viget, atque iterum decrescit: alteri alterius indolis subnascenti locum concedens.

XXVIII.

An eaedem stationariae post aliquot emensa annorum curricula certo ac stabili quodam ordine recurrant; num earum definitus quidam sit numerus, an vero novae subinde nascantur, determinari non potest, ob defectum observationum multis annis continuis, per industrios medicos, eodem in loco capiendarum, et cum aliis, alibi institutis, comparandarum.

XXIX.

Hinc ignoratur hucusque indoles, numerus, extensio, periodus febrium stationariarum,

XXX.

Id solum constat per observationes sydenhamianas, et nostras, febrim stationariam omnibus omnino febribus, et febrilibus morbis, seu sint ab annua mutatione, seu a causa quadam singulari productae, dominari, eosque in suam potestatem redigere.

XXXI.

In chronicos quoque, seu febriles illi sint, seu febris expertes, magnum imperium esse stationariae febris.

XXXII.

Febris stationaria varios saepe lusus habet, variosque morbos mentitur, utut eadem ubique sit et indoles morbi, atque eadem ubique medendi ratio.

XXXIII.

Cognosci autem stationariae natura potest 1mo ex spontanea morbi sibi relicti solutione solius naturae viribus peracta, ejusdemque eventu vario, spontaneo, 2do ex juvantibus et nocentibus forte adhibitis. 3tio ex analogia cum aliis febribus, aliunde cognitis.

XXXIV.

Hinc intelligitur, quid agendum sit, in novae febris ingressu.

XXXV.

Cum sub iisdem äeris qualitatibus sensibilibus diversae nihilominus subinde stationariae febres sint observatae, patet, alias quoque dari atque hucusque ignotas causas febrium popularium.

---

## FEBRES ANNUAE.

XXXVI.

Annuae febres dicuntur, quae singulis annis constanti quadam lege recurrunt, seseque excipiunt, nisi quaedam temporum anomalia, coelique mutationes abnormes intercurrant, et hanc annuarum successionem turbent.

XXXVII.

Sunt autem hae annuae: febris inflammatoria, biliosa, pituitosa, quae quasi principes et febres cardinales considerantur, itemque intermittens.

XXXVIII.

Quarum singulae tam late patent, ut innumerae aliae febres ad aliquam ex hisce reduci possint, ad eam videlicet, quacum major affinitas, et analogia intercedit.

XXXIX.

Quaelibet harum cardinalium definitae anni parti respondet: inflammatoria adultae hyemi, et veri primo; biliosa aestati vigenti, atque inchoanti autumno; pituitosa vero istius fini, et initio hyemis, item veri in aestatem vergenti. Intermittens in ver atque autumnum cadit.

XL.

Quodsi tempora anni consuetum suum tenorem non observent, alius quoque erit febrium habitus ad anni partes.

XLI.

Varia erit cardinalium harum duratio, intensio, modificatio, lusus, successio, degeneratio, complicatio, et inter sese, et cum aliis morbis: quae omnia summam medentis attentionem petunt.

XLII.

Hae quoque, quemadmodum stationariae,

sensim increbrescunt, vigentque, ac sensim iterum decedunt, seu multitudinem aegrorum species, seu morbi vim.

XLIII.

Tum vero circa constitutionum annuarum initia, exitusque medium quoddam compositumque genus febrium observatur.

LXIV.

Quaelibet harum cardinalium morbos suos subalternos habet. Sic cephalalgiae, lippitudines, anginae, tusses, fluxus alvini etc. tanquam aegritudines subalternae febrim principem seu cardinalem sequuntur, eadem, ac febris dominans, ratione sanandae.

XLV.

Morbi quoque alii sub annua dominante observati aut ejusdem indolis sunt cum febre annua; aut, utut a causis singularibus producti, ab eadem nihilominus reguntur. Exemplo apoplexiarum, abortuum, arthritidis, hypochondriaseos, hydropis, phthiseos, multorumque aliorum.

XLVI.

Unde maximi momenti lex sequitur, ut ei-

dem ad speciem morbo sub differentis febris annuae dominio non eandem medicinam facias.

XLVII.

Febres annuae suam denominationem saepe a quodam praedominante symptomate trahunt, unde pleuritica, peripneumonica, rheumatica, miliaris, petechialis, variolosa, morbillosa, scarlatinosa, erysipelatosa, tussis convulsivae, dysenterica ect. constitutio audit.

XLVIII.

Nihilominus notio practica et directrix morbi, non tam ex ejusmodi symptomate praevalente, quam ex annuae febris natura, cum stationaria collata, desumi debet.

XLIX.

Atque universim, qui febri medetur, et annuae simul, et stationariae rationem habere debet; cum eadem licet stationaria, diversis anni partibus, diversa annua, diversimode alteretur.

L.

An febres annuae nonnunquam suos limites egrediuntur, vice temporum non suppressae? an tunc in alias anni partes, aliis febri-

bus dicatas proferuntur, atque ita stationem diutius obtinent, stationariae effectae?

---

## FEBRIS INFLAMMATORIA.

LI.

Ad febres principes pertinet inflammatoria, seu synochus imputris.

LII.

Sanissimos persaepe corripit, sine prodromis, aut iis paucis, et pauco tempore. A valido frigore orditur. Sequitur calor assiduus, attactu non auctus, quin potius mitior: pulsus pleni, fortes, duri, accelerati; subinde vero suppressi et fictitie molles, praecipue, si alicubi gravis dolor saeviat; facies rubra, vultuosa; oculorum splendor, et dolor palpebrarum ac tensio: olfactus deperditus; lingua albida, aut praerubra, humectata tamen, nisi in gravissimo malo, et diu durante: oris et labiorum siccitas. Sitis. Cephalalgia. Dolor lumborum et lassitudo. Somni breves, et cum insomniis, vel et assidua somnolentia in infantibus, puerisque cum pavore et terriculamentis.

In his quoque uti, etiam in irritabilioribus, tendinum saltus, et artuum motus leviculi convulsivi. Delirium subinde, et cum ferocia. Alvus nulla aut rara, et resiccata; urinae parcae, flammeae. Febris uno tenore pergit, vesperi noctuque parumper aucta, sine frigore tamen, donec circa auroram modice mitescat.

LIII.

Amat haec febris tempora praeprimis frigida, siccave, hyemem adultam, ver primum, loca editiora, borealia, aetatem juvenilem, virilem, fibram exercitatam, sub diaeta spirituosa, carnea, itemque gravidas.

LIV.

Ita tamen, ut non excludat infantes, puerosque, chloroticas, item phthisicos. Nonnunquam quoque in hydropicis observatur. Inde hydrops inflammatorius, plethoricus.

LV.

Decurrit non interrupta, et absque periodo, intra 14 dies plerumque; subinde citius, ut levissima intra nychthemeron terminetur.

LVI.

Nihilominus inflammatoriae febres etiam c h r o n i c a e sunt observatae, complurium

mensium, annorum, in haemoptoicis potissimum, corpore gracili, collo longo, genis roseis, thorace angusto, scapulis alatis, exstantibus, fibra irritabiliore, et ingenio praecoci, acuto.

LVII.

Hanc producunt evacuationes sanguinis consuetae nunc suppressae narium, mensium etc. Perfrigeratio calefacto corpore, labor intensus corporis animique; insolatio, diaeta spirituosa valde; medicamenta acria, frigus boreale intensum. Graviditas, puerperium, vulnera etc.

LVIII.

Causae leviores, symptomata mitia, corpus antea sanum salutem: contraria periculum portendunt.

LIX.

Febris inflammatoria alia simplex est, alia vero composita, quae aliam febrim sibi junctam habet, inflammatoriae comitem, effectum, causam: Estque composita frequentissima; varietate symptomatum, discrimine, sanandi labore summopere notanda.

LX.

Frequentior est inflammatoriae complicatio cum biliosa, variolosa, morbillosa, miliari, petechiali, scarlatinosa, erysipelatosa etc. Inde Medicorum dissensio componenda, de antiphlogistica methodo in hisce febribus, varioque illarum stadio.

LXI.

Ea saepius quoque, ac vulgo putatur, sub schemate febris putridae delitescit, aut cum eadem complicatur. Hinc et inflammationes occultae, perniciosae, pulmonum, viscerum abdominalium in ipsa febre putrida. Diagnosis adcurata hic summe necessaria, sed difficillima.

LXII.

Simplex aeque, ac composita vel est universalis, et sine topica inflammatione cujusdam partis, vel vero cum eadem.

LXIII.

Hinc nova divisio fit, febris inflammatoriae sive simplicis, sive compositae varietates complectens, phrenitidem, anginam variam, gastritidem, enteritidem etc., de quibus infra.

LXIV.

Terminatur, si simplex fuerit, 1mo in salutem, *a*) benigna resolutione, *b*) crisi bona, saepius sudoribus, haemorrhagiis, urinis, rarius alvi fluxu. *c*) abscessu tempestive extrorsum aperto. 2do In mortem vero inflammationis magnitudine; crisi erronea; abscessu interno clauso, non aperiundo; gangraena: 3tio in alium vero morbum; eumque varium, pro varia variorum viscerum laesione per febrim inducta.

LXV.

Composita vero terminatur et hisce modis, et aliis quoque, febri complicatae propriis. Nonnunquam abit in febrim proxime instantis constitutionis, aut cum eadem complicatur.

LXVI.

Composita peior est simplici.

LXVII.

Curatio fit laxando stricta, minuendo humorum movendorum quantitatem, sc. phlebotomia larga, iterata; fotu emolliente, potuque eodem, saponaceo, acidiusculo, refrigerante, diaeta consimili, quiete corporis animique;

atque iis omnibus, quae sub nomine regiminis antiphlogistici sunt nota.

## FEBRIS INFLAMMATORIA CUM INFLAMMATIONIBUS TOPICIS.

LXVIII.

Nunc febris inflammatoria consideranda, quae singularem inflammationem sibi junctam habet, huic, illive organo inductam, unde ab ejus functione laesa toti morbo imponitur nomen; talis est phrenitis, coma, carus, angina, peripneumonia, haemoptöe, pleuritis, inflammatio mammarum, diaphragmatis, ventriculi, hepatis, lienis, mesenterii, intestinorum, renum, ureterum, vesicae, uteri, juncturarum etc.

## P H R E N I T I S.

LXIX.

Si delirium perpetuum, non raro ferox, a cerebro primario affecto, cum febre acuta continua inflammatoria oritur, vocatur phre-

nitis vera; ab alia phrenitide, alias et causas causarumque sedes habente, distinguenda.

Si a malo aliunde in cerebrum delato in febre, inflammatione etc. phrenitis symptomatica, Παραφροσυνη, desipientia, dicitur.

LXX.

Causae sunt eae omnes, quae febris inflammatoriae, caeterarumque inflammationum, illaeque praeterea, quae sanguinem validius ad encephalum urgent, ira, insolatio, opium, nocturna aut pocula, aut studia, vis externa capiti illata etc.

LXXI.

Antecedunt veram, calor, dolorque internus capitis, ingens, et inflammatorius; sanguinis copia nimia; dispositio inflammatoria; rubor oculorum, faciei; somni turbulenti; desipientia levis; adolescentia; calidorum usus; insolatio; vigiliae; ira; moeror; protervia seu ferocitas; oblivio subitanea; siccitas totius, maxime oris, faucium, gutturis; oculi lucis impatientes, scintillantes, involuntarie lachrimantes, lemosi, collectio floccorum.

Alteram vero omnis fere morbus acutus cum febre; dolor artuum, laterisque, ve-

lut a pleuritide rheumatica, et vagus, cum levi perturbatione animi; inflammatio pleurae, pulmonis; diaphragmatis, quae pessima; hanc praesagit lingua nigra, alvus suppressa, urina aut parcissime secreta, aut in vesica retenta, aut excreta parca, pallida, decolor, tenuis, ubi antea contrarium obtinuit; urina cum suspenso nigro; αδιψια; ferocitas; rubor; pervigilium; cutis sicca, strigosa, imperspirabilis; faeces albae (hae ubique letales), respiratio cita in morbo non pectoris, pulsui non respondens; deglutitio per vices laesa, potu in nares regurgitante, absque angina; signa instantis inflammationis in capite.

LXXII.

Utraque (LXXI) ubi praesens est, haec habet symptomata. 1mo idearum sensilium depravationem, ut et sensuum internorum, et rationis, et affectuum, 2do ferocitatem auctam, et efferam, inquietem, vel saepe somnos turbulentos. 3tio pulsum durum, respirationem raram, et magnam. 4to faciem plerumque rubram valde, vultuosam, adspectu horrendam, oculos protuberantes, trucesque, stillicidium, narium.

LXXIII.

Prognosis hisce fere describitur:

Phrenitis vera est acutissimus morbus; $3^{to}$, $4^{to}$, $7^{moque}$ die necat, raro hunc transgreditur.

Inde aut convulsi, aut apoplectici pereunt, magnitudine inflammationis, lympha coagulabili intra meninges transsudante; sero copioso in ventriculis collecto, vicina premente.

Aut abit in maniam insanabilem meningibus duris, incrassatis, concretis.

Paulisper adscendens immanis fit.

Saepe desinit in lethargum, coma, catochen.

Vomitus aeruginosus ratione inflammati cerebri; sputatio frequens et indecora in adstantes; tremor; faex alvi et urina interceptae, vel albae; urina cruda; convulsio; venatus floccorum volitantium; oculi pulverulenti, fixi, obliqua tuentes, distorti, alter altero major, albuginea prospectante, pupilla ampla, ad lucem immota; masticatio continua, cum oris spuma; deglutitio laboriosa, sonora, suffocans; dentium stridor; αδιψια, plerumque convulsionis praenuncia; permutatio symptoma-

tum perpetua; ulceris tumentis subsidentia, frequentia sunt praesagia periculi summi, et mortis.

A peripneumonia letalis; a variolis mala admodum; ab ileo letalis.

Inflammatio paulisper fixa, et asperitas faucium ad superiora vergens creat phrenitidem mortiferam; hi palpant, et laboriosi sunt.

Quae versatur circa necessaria, pessima.

LXXIV.

Cadavera defunctorum a phrenitide exhibuere encephalum inflammatum, gangraenam, abscessum, sphacelum cerebri, aut acres rodentes ichores.

LXXV.

Ex quibus cunctis elicitur causa proxima phrenitidis verae, inflammatio vera encephali primario orta; symptomaticae vero, inflammatio similis orta a raptu materiae phlogisticae in encephalum.

LXXVI.

Quidquid has producere potest, fungi poterit causae propioris munere (LXXI).

LXXVII.

Quin hinc vera diagnosis utriusque mali.

LXXVIII.

Curatio requirit attentionem ad sequentia. Phreniticis varices, vel haemorrhoides fluentes prosunt. Alvi fluor bonus.

Dolor ad pectus, artusque, vel et vehemens tussis superveniens, saepe solvit malum. Ut et haemorrhagia.

LXXIX.

Phrenitis vera requirit citissime validissima remedia, quibus tolli possit inflammatio ad encephalum orta.

LXXX.

Quae petenda maxime ex curatione inflammationis in genere, observatis hisce: Venae sectio instituenda larga, per amplum vulnus, repetita, in pede, brachio, jugulo, fronte. Hirudines ad tempora, retro aures, et cruenta nuchae scarificatio post phlebotomias. Diluentia ex decoctis antiphlogisticis, nitrosis, affatim haurienda. Clysmata antiphlogistica, additis laxantibus. Ad anum hirudines, maxime, si haemorrhoides olim tumuerunt. Collutoria, gargarismata lenia revocanda in crebrum usum. Nares, oculi, aures fovendae. Caput radendum. Pediluvia, epispastica, cucurbitae, ad inferio-

ra adplicanda. Corpus moderato frigore reficiendum, et erectum tenendum.

LXXXI.

Si vero phrenitis ab alio morbo inflammatorio jam facto oritur, ante omnia attendendum, an genius ejus mali patiatur adhiberi modo dicta (LXXX); si non, tum curanda ex methodo illi morbo debita, semper additis derivantibus, et topicis remediis.

LXXXII.

An camphora cum nitro in vera phrenitide, an potius in delirio a systemate nerveo per febrim nimis irritato? an moschus, et quando? an post usum venae sectionis, et aliorum refrigerantium, opium? an hoc serius magis convenit, febre cessante, delirio levi, desipientia, fatuitate ob keneangeiam remanente? Nocebit certe in vera phrenitide vigente.

LXXXIII.

Huc phrenitis puerperarum spectat, in non lactantibus, aut non sufficienter; post primum puerperii triduum, incerto tamen tempore, a plethora ad encephalum determinata, oriri solita; in maniam, saepe sanabilem, non raro abiens.

LXXXIV.

Huc quoque phrenitis a vi externa capiti illata; evacuationibus sanguinis uti in vera; purgationibus antiphlogisticis; actu frigidis, nive, glacie, pannis sale ammoniaco, nitro imbutis, toti capiti impositis, et dein adspersa frigida madefactis sananda.

LXXXV.

Relapsus faciles; convalescentia tarda.

---

## A N G I N A.

LXXXVI.

Impedita valde, dolens admodum, vel et impedita et dolens simul deglutitio, atque respiratio, quae contingit a causa morbosa, agente in partes binis his functionibus inservientes, supra pulmones, et stomachum positas, angina vocatur.

LXXXVII.

Cujus duplex observatur species; prima sine ullo signo tumoris externi, internive apparet; altera vero cum aliquo tumore in aliqua parte organorum descriptorum (LXXXVI) deprehenditur semper.

LXXXVIII.

Illa prior in fine morborum diuturnorum, maxime post ingentes et saepe repetitas evacuationes, contingit; pallorem faucium, siccitatem harum, tenuitatem simul, comites habet; quare nervos et musculos resolutos plerumque habet; raro curatur, et tum tantum remediis replentibus vasa vacua bono succo vitali, calefacientibus, corroborantibus. In phthisi fere semper est signum imminentis mortis.

LXXXIX.

Eadem prior species aliquando oritur subito sine signis manifestis praegressis ullius morbi; vix capit medelam; et fere semper, post mortem, suppuratum pulmonem demonstrat.

XC.

Quae cum tumore accidit, varia nomina accipit, vel a natura tumoris, vel a loco per tumorem occupato; sc. catarrhalis, inflammatoria, purulenta, scirrhosa, cancrosa, gangraenosa, putrida, maligna, pituitosa, biliosa, erysipelatosa, scarlatinosa, miliaris, aphthosa, morbillosa, variolosa, venerea, convulsiva.

XCI.

Occupant hi tumores (XC) linguam, ejus musculos; palatum, tonsillas; uvulam, hujus musculos; cava ossium frontis, maxillae superioris, ossis sphaenoidis, enato et ibi radicato polypo increscente, nares obturante, palatum deprimente pendulum, fauces angustante, pharyngem, laryngemque occludente; musculos ossis hyoidis omnes, vel aliquos; musculos laryngis externos, internos, communes, proprios, asperae arteriae membranam interiorem muscularem; pharyngis musculos superiores, et oesophageum; ipsum oesophagi musculum; glandulas asperae arteriae et oesophago ita vicinas, ut hae fistulae ab iis tumentibus comprimi queant, ut sunt salivales omnes, tum vagae circa haec loca, ac tandem ipsae thyreoideae.

XCII.

Ex qua historia (LXXXVIII ad XCII) perspecta apparet ratio tam multiplicis, improvisi, et funesti saepe eventus, hujus mali (LXXXVI).

XCIII.

Quum vero tam varius ille morbus sit, tam

varium effectum producat; variaque adeo remedia et artem medendi postulet, brevitas hic necessaria non permittit, singula hic recensere: hinc de inflammatoria angina paucisque aliis potissimum agendum.

---

## ANGINA INFLAMMATORIA.

### XCIV.

Quando ab inflammatione glandulae (XCI) vel musculi (XCI), occupantur, tum oritur morbus, hic accuratius describendus, ob summam, qua funestus est, acutiem, et velocissimam, et insuperabilem saepe violentiam.

### XCV.

Hujus (XCIV) mali causa 1mo in genere est omnis ea, quae inflammationem quamcunque potest producere. 2do illa omnis, quae inflammationis causas determinat inprimis ad loca descripta (XCI) maxime ad laryngem, pharyngem, os hyoides, horumque musculos, tum ad fistulae pulmonalis superiora: talia autem sunt, dispositio propria juvenibus, sanguine divitibus, rufis; exercitium frequens, validum-

que harum partium, oratoria exercitatio, cantus, clamor, fortis equitatio adverso vento et frigido, tubarum et fistularum inflatus; labores validi in aëre frigido, calor aestuans, magnum frigus excipiens, tempore verno; aridae fauces ob aëris recepti et expulsi fervorem in aestu solis, vel in febre inflammatoria.

XCVI.

Ubi ex his causis (XCV) nata est, varia, et inter ea, horrenda symptomata creat, pro diversitate partis ejus, quam occupat.

XCVII.

Si sola laborat pulmonalis fistula, illaesis aliis, in interna sua membrana musculosa, tum oritur ibi tumor, calor, dolor, febris acuta calida, ceterum externa signa nulla; vox acuta, clangosa, sibilans; inspiratio acute dolens; respiratio parva, frequens, erecta, cum summo molimine; hinc circulatio sanguinis per pulmones difficilis; pulsus mire et cito vacillans; angustiae summae; cita mors. Estque haec una ex iis, quae funestissimae, nec externa dant signa: quo vero propius glottidi et epiglottidi malum, eo sane magis letale. Quibusdam dicitur angina polyposa, membrana-

cea, trachealis: 1ma anginae inflammatoriae species.

XCVIII.

Si larynx inprimis acute inflammatur, et sedem habuerit malum in musculo albo glottidis, et simul in carnosis ei claudendae inservientibus, oritur dirissima, subito strangulans angina. Signa ut priora (CXVII); dolor in elevatione laryngis ad deglutitionem ingens, auctus inter loquendum atque vociferandum; vox acutissima, stridula; citissima, cum summis angustiis, mors. Estque haec, sine signis externis, omnium pessima. 2da species.

XCIX.

Si soli musculi elevando ossi hyoidi, et laryngi servientes inflammantur valide, signa evidentia sunt haec: respiratio satis libera; deglutitio in prima actione suae exercitationis acutissime dolens; tum signa inflammationis in genere, et eadem in iis musculis, qui apparere examinanti possunt. 3tia species.

C.

Quando autem solus pharynx eodem infestatur malo, signa specifica sunt, inspectis faucibus apparentia: respiratio satis commoda; de-

glutitio dolens, impossibilis; materies deglutienda per nares rediens; eadem in asperam arteriam pulsa et tussim violentam excitans; hinc defectus cibi, potusque ingerendi; exsiccatio et exasperatio omnium humorum in corpore; febris non adeo intensa; major morbi duratio ante illatam mortem. 4ta species.

CI.

Si vero tonsillae, uvula, velum pendulum; musculi ejus quatuor pterygostaphylini, inflammantur valide, tum fiunt fere eadem ac in priori (C); respiratio incommoda, difficilis, per nares nulla, vel parva, per fauces angusta, materies deglutienda ob angustias et summos dolores per os rediens; excreatio perpetua; pituitae ad cava tonsillarum stillicidium perpetuum, copiosum; dolor acutus in aure interna, et via eo tendente a faucibus; crepitatio in aure, dum deglutitio fit; surditas saepe perfecta. 5ta species, ceteris sananda facilius, et communissima.

CII.

Quodsi omnes hae inflammatoriae species (XCVII ad CII) vario concursu, simul aegrum infestent, concluditur facile, eo saeviorem fore

morbum, quo plures in unum conspiraverint, tamque simul eo plura, et saeviora symptomata eventura esse.

CIII.

Nam impedito tum cruoris in jugulares externas, vel per has ipsas compressas, reditu, fit tumor faucium, labiorum, linguae, vultus; linguae exsertio, intorsio, inflammatio; oculorum rubedo, protuberans tumor horrendus; cerebri ob eadem suffocatio; hinc visus, auditus, tactus hebetes; delirium; hiatus oris; stertor; decubitus impossibilis prae suffocatione; rubor, tumor, dolor, pulsatio, saepe in collo, pectore, cervice, conspicui; unde venae jugulares, frontales, raninae varicosae tument.

CIV.

Decurrit autem omnis angina consuetum inflammationis generalis iter, easdemque facit, ac patitur mutationes.

1ma species finitur 1mo resolutione benigna; 2do crisi erronea, lympha coagulabili subito transsudante: unde mors plerumque subitanea, suffocans; raro salus, pseudomembrana

inter tussiendum rejecta. 3tio abscessu, et inde nata phthisi.

2da vero terminatur 1mo lysi; 2do suppuratione, aut sanabili emollientibus, balsamicis etc., aut phthisin trachealem, tandem et pulmonalem inducente; 3tio lympha coagulabili subito transsudante, eventu vario; 4to primis horis aut diebus suffocando, glottidis rima elisa; 5to gangraena.

3tia et 4ta species exitus habent partibus inflammatis musculosis communes.

5ta tandem solvitur 1mo lysi; 2do crisi subita, lympha phlogistica transsudante; 3tio abscessu introrsum communissime, rarissime extrorsum vel sponte rupto, vel pharyngotomo aperto; 4to tumore scirrhiformi; 5to suffocando nimia mole; 6to metastasi subitanea ad encephalum, pulmones etc. vario exitu; 7mo gangraena.

CV.

Ergo si signa docuerint, anginam esse 1mae et 2dae speciei, confestim examinandum, an pura hactenus inflammatio adsit; tumque citissme per efficacissima remedia tentanda resolutio est. Itaque 1mo cita, magna, repetita missio sanguinis, eousque, ut debilitas, pallor, refri-

geratio, vasorum callapsus, doceant, vim superstitis non posse augere tumorem et rigiditatem vasculorum, exercenda erit; hirudo in loco vicino, externo, sectio jugularis prae ranina; 2do clysmata emollientia, eccoprotica, repetita; 3tio victu, potuque tenuissimo, et lenissimo opus; 4to nitrosis, subacidisque medicamentis; 5to vapore humido, molli, tepido assidue hausto, fomentis externis; derivantibus epispasticis, cucurbitis scarificatis, et siccis; sinapismis, collo, et pectori, appositis.

CVI.

At species 3tia raro tam periculosa ac 1ma et 2da, eadem remedia (CV), sed leviora, petit. Hic autem imprimis cataplasmata anodyna, laxantia, emollientia externa necessaria.

CVII.

Dum denique angina (C, CI, CII), adhuc inflammatoria, infestat; tum eadem remedia (CV, CVI) requiruntur unita, sed addendae perpetuae humectationes oris et faucium, per lenissima attenuantia nitrosa, diluentia aquosa calida, laxantia pinguia, quae ore quieto contineri, leniter gargarisando applicari, fistula

iniici possunt: requiritur continuá opera, ne arescant partes.

CVIII.

Si omnibus his non, sero, vel frustra tentatis (CV, CVI, CVII), morbus sit maxime recens et strangulans a causa superiori, quam erit locus sectionis, cum symptomatibus pessimis (CIII), nec tamen adhuc gangraenosis, statim post acerbam prognosin instituenda erit βρογχοτομη.

CIX.

Quae fiet praeparato corpore aegri, in aspera arteriá infra laryngis inferiora ad pollicis distantiam, discissa cute, et integumentis; ámotis musculis; secto interstitio inter annulos arteriae asperae; imposito canaliculo argenteo; dein ablata causa, quae exegerat hanc operam, vulnus percurando; interim clysmata nutrientiá applicando, si deglutitio impossibilis.

CX.

In quibusdam peculiaris est in anginam proclivitas.

CXI.

Post validam tonsillarum inflammationem

manet non raro tonsillae corpus, mole majus cetera sanum.

CXII.

Subinde vero tonsillae tumor scirrhodes remanet, indolens, innoxius, at incurabilis, a lympha phlogistica e vasis effusa, diffusa per tonsillam, et indurata. Differt a vero scirrho.

CXIII.

Solo tempore minuitur parum, et durior evadit.

---

## ANGINA SUPPURATORIA.

CXIV.

Si malum jam eo processerit, ut suppuratio loci affecti jam incipiens cognoscatur per sua signa, erit tentanda via abscessus per artem, et remedia generalia ex chirurgicis nota; maxime autem molli, assiduo gargarismate, largo cataplasmate laxante; pertusione loci, sensibus deprehensi, bronchotome (CVIII, CIX).

CXV.

Illa autem anginae species, quae prior descripta (XCVII, XCVIII), raro eousque adolesce-

re potest, sed vel prius resolvitur (CV), vel necat.

---

## ANGINA GANGRAENOSA.

### CXVI.

Si tandem causae anginae (XCV) augentur, et in parte nobili magis (XCVII, XCVIII) haerent, vel et in externis (C, CI), saepe in gangraenam abit letalem; id vero novimus, 1. ex signis hujus generalibus, aliunde repetendis, applicatis ad partes obsessas, quarumque functio laesa: 2. ex signis propriis; si tumor, ruborque prius conspicui, subito, sine bona causa, disparuerint: si dolor similiter sic abiverit; fauces subito aequales, laevesque fiunt; siccae, glabrae, lividae fauces; tum nullam capit magnitudo nimis provecti mali medelam.

### CXVII.

In scirrhum circa tonsillas, uvulam, palatum, abit angina eorum locorum, ex causis scirrhorum cognitis. Unde cognoscitur facile, curatur difficulter: maxime ubi in cancrum jam abiit. vid. (CXVIII).

---

## ANGINA SCIRRHOSA.

### CXVIII.

Si glandulas descriptas (XCI) scirrhosus, et multum increscens tumor occupavit, signis scirrhi cognoscitur; atque ex noto ejus situ futura angina praevidetur, nata vero perspicitur; tum, si extirpatio possit fieri, ea sola remedio erit tuto; aut in internis circa fauces corrosio multa cum prudentia tentanda.

---

## ANGINA CONVULSIVA.

### CXIX.

Si nervi motores organorum deglutitionis, vel respirationis, impediuntur suas exercere functiones in illa organa, oritur paralytica angina; talis a luxatione dentis vertebrae dicitur contingere, aut alterius vertebrae cervicis ad interiora. Si convulsionum causa quaecunque musculos pharyngis, laryngisve occupaverit, oritur subita, suffocativa angina: talis in epilepticis, spasmodicis, hystericis, hypochondriacis saepenumero fit, abit, redit: curatur

inprimis his, quae iis morbis curandis propria sunt.

---

## ANGINA AQUOSA.

### CXX.

Angina aquosa, oëdematosa, catarrhosa tenuis, est impedita, vel dolens respirandi, vel deglutiendi exercitatio, cum tumore lymphatico partium, quibus illa fit, vel vicinarum.

### CXXI.

Habet ergo, ut ceterae aquosae colluvies, sedem in parte glandularum, ubi reconditur, atque excernitur secreta arteriis lympha.

### CXXII.

Ergo pro causa agnoscit, quidquid exitum liberum lymphae impedit: eorum vero est numerus ingens, et diversitas. Compressio venarum quaecunque, in quas forte earum glandularum emissaria se evacuant; obstructio nata in ipso folliculo glandulae a gypso, pituita, lapide, fungo, et similibus ibidem enatis; obstructio facta in ipsis emissariis a causis iisdem; compressio eorundem locorum; frigus finibus

excretoriorum meatuum applicatum; debilior humorum circumactio.

CXXIII.

Effectus talis mali sunt, tumor aquosus, albus, frigidus; vicinorum compressio; impedimentum functionum, quae a non compressis pendebant.

CXXIV.

Hinc signa diagnostica (CXX, CXXI, CXXII), et prognostica (CXXIII) facillime patescunt.

CXXV.

Curatio autem hic peragetur iis, quae 1. causas obstruentes resolvunt, movent; aut rodendo, vel secando, tollunt. Huc spectant emollientia, aperientia, laxantia, forma fotus, cataplasmatis, gargarismatis, injectionis, collutorii, vaporis, applicata; tum frictiones; caustica; scalpellum. 2. quae copiam lymphae, per opposita loca evacuando, minuunt: quod fit apophlegmatismis, vesicatoriis, sudoriferis siccis externis, internis, diureticis similibus, hydragogis per alvum. 3. abstinentia ab liquidis; victu calefaciente, exsiccante. 4. augendo vim circulationis per remedia nota.

CXXVI.

Ex hac historia data (LXXXVI ad CXXVI) intelligitur ratio observationum hippocraticarum.

Angina sine ullo signo conspicuo, solo strangulatu orthopnoico se prodens, cum febre acuta, dolore magno capitis, vel crurum, sine signis bonis, cito letalis, primo scilicet, secundo, vel tertio die.

Angina ἐπιγενέσει orta ex aliis inflammatoriis morbis, aut si species (XCVII, XCVIII) nata ex (XCIX, C, CI,), letalis.

Angina spumam oris excitans; serum tenue exprimens; faeces alvi sine sensu dimittens; in febre valde acuta, sine ullo signo conspicuo occupans; cum recessu tumoris, ruboris, pulsationis in faucibus vel lingua, tamen strangulans; ubique letalis, et praeceps.

CXXVII.

Plures supersunt anginae species, symptomaticae aliorum morborum, ex quorum cognitione earum indoles, et curatio scitur.

## PLEURITIS HUMIDA, SEU ANGINA BRONCHIALIS.

CXXVIII.

Inflammatio subinde bronchia, eorumque ramificationes prehendit; inde febris acuta continua cum dolore lateris interiori, inflammatorio, tussi et inspiratione aucto, cum sputis croceis, cruentis.

Pleuritidem humidam appellant.

CXXIX.

Sede differt a pleuritide sicca, quae pleuram afficit: differentia ab illis non observata, qui de sede pleuritidis controversiam moverunt.

CXXX.

Causas habet inflammationum generales, et eas quoque, quae anginas, trachealem praeprimis, et peripneumoniam producunt.

CXXXI.

Exitus quoque eosdem habet cum iisdem morbis, habita ratione affectae partis: nempe in sanitatem, morbos alios, aut mortem.

CXXXII.

In sanitatem abit, 1. resolutione benigna

in morbo levi, a causis levibus. 2. crisi per sputa, sudores, urinas, alvum, coctione praegressa, et diebus decretoriis 4to, 5to, 7mo, 9no, 11mo, ut plurimum.

CXXXIII.

Terminatur quoque materie inflammatoria repente deposita in cava aërea, coctione praegressa, et die critico instante; eventu vario.

CXXXIV.

Morbus exigit methodum antiphlogisticam, inflammationis magnitudini commensuratam, sc. venae sectiones, potus tepidos, emollientes, nitrosos, balnea pulmonum, vaporibus aquae dulcis inspiratis.

CXXXV.

Exitus reliqui tum ex cognitione inflammationis in genere, tum ex iis, quae de angina inflammatoria dicta, sunt repetendi.

CXXXVI.

Ex hucusque dictis colligitur, cur sputa purulenta post humidam pleuritidem morbum curatu difficilem notent; insanabilem vero post siccam. Patet quoque, plurima effata veterum aeque ac recentiorum de pleuritide, ad hanc

praeprimis, humidam nempe, seu ad anginam bronchialem pertinere.

Intelligitur etiam, cur hic morbus tam frequenter cum eo jungatur, de quo nunc agetur, cum eoque pleuroperipneumoniam constituat.

## PERIPNEUMONIA VERA.

### CXXXVII.

Si in pulmone inflammatio vera concipiatur, morbus vocatur peripneumonia.

### CXXXVIII.

Signa sunt 1. ea, quae febris inflammatoriae, 2. pulmoni inflammato peculiaria: sensus oppressionis ad thoracem assiduus, indeque, atque ob tussim siccam, humidam, cruentam, profundius inspirandi facultas impedita.

### CXXXIX.

Causae plurimae revocari queunt 1. ad generales omnium inflammationum per totum corpus. 2. ad eas, quae imprimis pulmones afficiunt: ut sunt, aër humiditate, siccitate, calore, frigore, gravitate, levitate, exhalationibus

causticis, vel adstringentibus, aut coagulantibus constans, sicque peccans; chylus ex crassis, siccis, viscosis, cum acribus permistis, vel sine iis; exercitia pulmonum violenta, cursu, lucta, nixu, cantu, clamore, equitatione forti in vento adverso; venena coagulantia, caustica, constringentia, venis ad cor tendentibus immissa; vehementes animi perturbationes; angina cum oppressione pectoris, et orthopnoea, pleuritis valida, paraphrenitis ingens, hepatitis: peculiaris praedispositio, saepe haereditaria.

CXL.

Ubi hae causae morbum produxerint, et major alterutrius pulmonis portio inflammata, stagnat cruor; extenditur vas; exprimitur transsudatione quasi pars liquidissima, coacervatur crassior; inter cor dextrum, et fines pulmonalium arteriarum, omnis fere colligitur, circulum adhuc obire potens, sanguis; hinc pulmo gravis, explicari impos, livescens; cor sinistrum sanguine orbatur; debilitas summa; pulsus exilis, mollis, omni modo inaequalis; respiratio parva, frequens, difficilis, erecta, tussiculosa, calida; sanguinis venosi ante auriculam et cor dextrum stagnatio; rubor faciei,

oculorum, oris, faucium, linguae, labiorum insolitus; caput hebes, sopoorsum, subapoplecticum; tandem suffocans, inexplicabili cum anxietate et delirio, mors.

CXLI.

Si tale malum (CXL) utrumque pulmonem simul, et valide infecerit, erit cita, et insuperabilis mors; quum nullo remedio antiphlogistico juvari natura queat.

CXLII.

At, si parvum in uno pulmone locum infestat, nec causas validas habet, aliqua, nec tamen certa, spes est curari bene posse.

CXLIII.

Inde (CXXXVIII ad CXLIII) signa diagnostica, et prognostica, utcunque hauriri possunt; maxime si consideremus, exitus esse ut inflammationis; inde etiam status accipit vario durationis tempore varios, ita ut abeat in sanitatem, alium morbum, mortem.

CXLIV.

Sanatur 1. resolutione benigna 4to, 5tove die; si temperies laxa, humores blandi, inflammatio non magna, cum alio morbo pulmonum, aut alia cum febre non complicata, neque hae-

reditaria fuerit ad eum morbum praedispositio. 2. crisi die 7$^{mo}$, 9$^{no}$, 11$^{mo}$, 14$^{to}$; scilicet, a) sputo cito, libero, copioso, flavo, cum pauco sanguine misto, satis crasso, dolorem sedante, respirationem emendante, pulsum ampliorem, et pleniorem reddente, in album, blandum cito mutato; id fit, si sedes mali non valde ampla. b) alvi fluxu bilioso, levante, et similia fere, ac sputa descripta, ejiciente. c) urina copiosa, crassa, hypostatica, levante cum sedimento, primo rubro, sensim albescente, ante septimum diem comparente, dein perstante. Atque tum respiratio adest facilis, febris mitis et boni moris, *αδιψια*, calor, humiditas, laxitas, mollities, aequales toto corpore.

CXLV.

Abit in alium morbum, pendentem ex natura inflammationis, vel ipsius pulmonis, prout sua hinc propria actione destituitur.

CXLVI.

Hinc primo in suppurationem, quae fit, ubi materies inflammatoria, ab ipsa natura resolvi non potens (CXLIV), nec arte emendata, tamen blandior, stagnans, calens, pulsa, vascula tenuia rumpit, in pus resolvit, latera coërcentia

extendendo, vel rodendo abscessum, vomicamve format, intra quatuordecim dies.

CXLVII.

Id futurum (CXLVI) demonstratur his observationibus: 1. si signa certa peripneumoniae satis acris (CXLII), nec tamen acerrimae (CXL, CXLI), primo extiterint. 2. si resolutio, ejusque signa (CXLIV), non satis cito apparuerint. 3. si symptomata (CXL) nec sputo cocto, et criticis diebus, 4to, 5to, 7mo, 9no, 11mo, 14to, evacuato per ordinem, qui sanationem doceat mutatione successiva excreti; nec eductione cruoris; nec medicamentis; nec victu debito; superata sint. 4. verum contra, symptomata non pessima, pertinacia, cum continuo delirio, pulsu undoso, mollique permaneant.

CXLVIII.

Fieri autem jam re ipsa cognoscimus per haec: 1. si signa sint (CXLVII). 2. ubi leves, vagae, saepe repentes, sine manifesta causa horripilationes contingunt; dolor remisit; dispnoea manet; genae et labia rubent; sitis adest; febricula vexat, inprimis vespertina; pulsus debilis, mollisque.

CXLIX.

At jam factum declarant, 1. signa praegressa (CXLVII, CXLVIII). 2. tussis pertinax, sicca, ad pastum, motumve aucta; respiratio difficilis, parva, anhelosa, strepens, post pastum, et motum aucta; decubitus in unum modo, id est, in affectum latus tolerabilis; febricula continua, periodica, a cibo, potu, motu, exacerbata, cum rubore genarum et labiorum; appetitus prostratus; sitis magna; sudor nocturnus, maxime circa jugulum et frontem; urina spumosa; pallor; macies; debilitas summa.

CL.

Id apostema jam factum (CXLIX) exitus habet varios: 1. suffocat tumore occupante totum pulmonem, vel comprimendo impediente ea, quae adhuc in eo libera. 2. suffocat subita eruptione puris, vomica in asperam arteriam se exonerante uno cum impetu. 3. solvitur sputo purulento, liberante, consumente. 4. solvitur lapsu puris in cava thoracis, inve mediastini dilatata vacua. 5. inde tabes, phthisisque varia, empyema fere letale.

CLI.

Alter morbus a peripneumonia fit, si in-

flammatoria materies (CXLVI, CXLVII, CXLVIII) intra pulmonales venulas resorbetur, in loca quaedam deponitur: unde liberatur pulmo, oneratur pars alia; quae si minus requisita ad vitam, est μεταςασις bona; si vero in hepar, lienem, cerebrum, et similia loca fluxerit, pessima plerumque erit. Hinc fiunt abscessus in peripneumonicis ad aures, crura, hypochondria.

CLII.

Tales abscessus futuros esse declarant: 1. observatio signorum peripneumoniae non pessimae (CXLVII, CXLVIII, CXLIX), cum febre non vehementi, nec maligna, tamen continua; cum dolore thoracis, anxietate, gravitate, dispnoea, non pessimis, sine signis resolutionis (CXLIV). 2. si cum his pulsus multum vacillans, omni modo, assidue. 3. dolores, rubores, calores, tensiones, circa loca dicta (CLI).

CLIII.

Illos vero futuros circa crura scimus, si 1. signa futurorum abscessuum (CLII) adsint. 2. si simul cum iis signa sint levioris inflammationis ad hypochondria.

CLIV.

Sed futuros circa aures scimus, si 1. si-

gna adsint (CLII). 2. mollia simul hypochondria.

CLV.

Ad hepar verti novimus, si 1. signa sint (CLII). 2. dolor manens in hepate, cum urina subictericea, colore subflavo cutis. Hinc saepe hepatitis deuteropathica, vomica hepatis nata, pessima mala.

CLVI.

Abscessus illi (CLIII, CLIV) si levant pulmonem, si tollunt febrim, si purulenti, manantes, fistulosi manent, si satis cito, ante nonum diem, contingunt, tum semper salutares: verum, si sputo jam purulento, nec magis flavo, sine levamine dicto, nascuntur, mali: at, si jam nati evanescunt, crudo morbo, peripneumonia redeunte, omnino letales sunt.

CLVII.

Desinit iterum hic morbus in tumorem scirrhiformem pulmonis, si materies inflammatoria, crisi erronea e vasis expressa, intra visceris substantiam diffundatur, inque tubera, tuberculave coëat, non dissolvenda: inde tota vita difficilis, erecta, tussiculosa respiratio, post pastum, motumque aucta, sine signis latentis

vomicae descriptis (CXLIX); et peculiaris in novas peripneumonias originarias, et symptomaticas proclivitas.

CLVIII.

Eadem ferme observantur, si ob eandem erroneam crisin materies phlogistica in cavum thoracis effundatur; nisi copia materiae magna, crisi subitanea effusa, aegrum subito suffocet.

Quantitas materiae phlogisticae exigua, crisi pedetentim facta, in pseudomembranam abibit, cum tempore mire vasculosam, tenacem, coriaceam, semicartilagineam, pulmones ambientem, arcte stringentem, pleurae valide nexam. Unde ante enarrata incommoda.

CLIX.

Subinde circa criticum diem, coctione praegressa, et sine signis suppurationis aut imminentis, aut jam factae, lympha phlogistica subito deponitur in vesiculas et ramificationes bronchiales; inde aut salus, si materies parca sit, libereque rejecta; aut, si subito effusa, mors inopinanter suffocans.

CLX.

Hydrops quoque non rarus peripneumoniae et pedissequus, et comes.

CLXI.

Tandem, si pulmo vehementissima inflammatione corripitur, a causa interna, vel externa (CXXXIX), brevi nascitur gangraena, et inde cito sphacelus ob copiam, motumque cruoris in summe inflammato viscere impediti; et ob motum assiduum visceris tenuissimi. Id futurum docent: 1. signa violentissimae peripneumoniae (CXL) nullo casu, nec arte sedatae. 2. debilitas summa, cita, pulsu se inprimis manifestans. 3. frigus extremorum. At jam natam scimus, si haec praegressa, sputa ichorosa, tenuia, cinericea, livida, atra, foetida. Inde autem cita mors.

CLXII.

Hucusque dicta confirmat observatio historiae morbi, cadaverumque inde defunctorum incisio: nam pulmo peripneumonicorum reperitur pondere, mole, duritie auctus; ad pleuram religatus membrana crassa, albida, nonnunquam tenuiter, firmiter, firmissime cohaerente, diversis, variae firmitatis laminis, constante, hinc atque illinc pulmoni pleuraeque adnata conclusus. Serum in cavo thoracis, pul-

monem inflammatum continente, varia quantitate effusum.

CLXIII.

Unde evidens est, illum morbum, quem vetustas hoc nomine descripsit, esse veram inflammationem pulmonum.

CLXIV.

Eritque prognosis clara, qua asseritur, morbum hunc semper valde periculosum, ob necessitatem summam functionis pulmonalis ad vitam, et ad sanandam materiem inflammatoriam; ob sanguinis perpetuo allati copiam, impetum; ob motum perpetuum visceris; ob situm, qui applicationem remediorum renuit; teneritudinem summam vasculorum facile destruendam; impossibilitatem revulsionis adeo requisitam in cura inflammationis.

CLXV.

Ex quibus (CLXIV) liquet, quando, cur, et cum quibus symptomatibus in mortem abeat; scilicet, si totus pulmo, una cum corde inflammatur, cor in latus procidit, aeger paraplegia resolvitur, frigidus, et sensus expers est, tum secundo, vel tertio die moritur. Si urina initio morbi bona et cocta, post quartum tenuis; si

in vigore morbi erectus sedere cogitur; si puris est per inferiora secessus: si sicca, cum fervore strepente pleni pulmonis in gutture: si vehemens, in corpore valde sicco, duro, calloso, exercitato: si mala est, cum praerubro valde stillicidio sanguinis: si sicca est, cum maculis rubris pectori adspersis: si coryza aut sternutatio multa praecedit, sequiturve: si ex ardente febre ortum duxit: si sputum biliosum cum pure post sextum diem statim inceperit: si sputum ab initio valde cruentum, flavum sincerum, album rotundum, spumosum valde, dolorem non sedans; si fuscum, coenosum, amurcosum, nigrum, livescens, inaequale, aeruginosum: si neque febris, neque respirationis difficultas remisit, moritur die septimo, vel nono. Mors vero iis contingit, dum pulsus deficit, omnia frigent, solum pectus, caput, collum aestuant, genae rubent, liventque.

CLXVI.

Curatio hujus mali varianda est pro diverso statu morbi et symptomatum, adeo, ut quod uno tempore prosit, in eodem tamen morbo, alio tempore datum, obsit.

CLXVII.

Si ergo in peripneumonia omnia signa adsint descripta (CXLIV, Nr. 1), utendum quiete corporis et animi; aëre tepido humido; balneo vaporis aquae dulcis ad pulmones, nares, os, pedes, crura; victu tenui, potu levi, medicamentis aquosis, nitrosis, farinosis, mellitis.

CLXVIII.

Si vero status adest (CXLIV, Nr. 2, a), utendum iisdem (CLXVII), et medicamentis emollientibus, depurantibus, excreationem promoventibus, leniter reficientibus, vaporibus: vitanda tum venae sectio, purgatio, sudoris expulsio, aliave omnia, dictam excretionem perturbantia.

CLXIX.

Si (CXLIV, Nr. 2, b) adest, lenia clysmata emollientia, fomenta lenia abdomini imponenda, decocta emollientia, et levissimo gradu laxantia, prosunt, simul reliquis peractis (CLXVII, CLXVIII).

CLXX.

In statu (CXLIV, Nr. 2, c) fiant eadem, ac (CLXVII, CLXVIII, CLXIX), sed addantur balnea pedum, fomenta renum per clysmata emollientia

interna, et externa linimenta, bibantur decocta emolliendo-diuretica.

CLXXI.

Si inflammatio recens, magna, sicca, in corpore robusto, paulo ante sano, exercitato, deprehenditur per signa (CXL), statim recurrendum, 1. ad citam, largam, pro gradu mali moderandam, aut repetendam, missionem sanguinis, ut moles crassi minuatur, diluentibus spatium concedatur. 2. ad balnea vaporis emollientis pulmonibus assiduo, reliquo corpori saepe, applicanda. 3. ad decocta diluentia, resolventia, emollientia, laxantia, antiphlogistica, nitrosa, anodyna, parva copia, continenter repetenda, calidissima sorbenda. 4. ad clysmata blandissima antiphlogistica. 5. ad victum tenuissimum ex succis antiphlogisticis.

CLXXII.

Si inflammatio magna, cum febre et reliquis symptomatibus validioribus duravit diutius, et signa adsint inflammationis jam in suppurationem tendentis (CXLVII, CXLVIII, CXLIX), semper multum discriminis adest, quamvis longius jam excurret morbus, et spatium dabit curationi: tum 1. venae sectione nulla, vel,

si residua cruda inflammatio urget, huic accomodata utendum. 2. victu leni, sed paululum incrassante, et ex maturantibus confecto, utendum. 3. balneis pulmonicis, emollientibus, maturantibusque utendum ad abscessus usque formationem.

CLXXIII.

Si signa docent, factum esse in pulmone abscessum (CXLIX), acceleranda ejus disruptio in asperam arteriam. Hinc iisdem (CLXXII), utendum, additis sorbitionibus tussim moventibus leniter, simulque replentibus, ut locus levari queat pure cocto, vasis attenuatis, vita sustentata. Ruptione facta, depuratio subita et tuta ulcerosi loci molienda.

CLXXIV.

Disruptio tentatur, si post multa alimenta mollia, subpinguia, cum vino molli, pulmo suppuratus (CL), et praeparatus, (CLXXII), vapore calido, clamore, tussi, excreatoriis, concussione in navi, vel rheda agitatur.

CLXXV.

Simul ac dein signa edocuerint, apostema ruptum esse, utendum victu lacteo, vegetabili lenissimo, nec facile putrescente, tum de

die aperientibus, detersivis, vesperi levibus opiatis; vaporibus emollientibus.

CLXXVI.

Si autem signa (CLII) docent, statum (CLI) jam obtinere, nulla tamen hactenus certa prognosi, quonam materies verget, tum emulso leviter camphorato, levi, fluido, aromatico, paululum vinoso utendum victu; quietum sit corpus: medicamenta vero sint emollientia, et ex genere levissimo aperientium, pulmoni prospiciatur usu emollientium: sic vel determinabitur, vel ulterius dissoluta excernetur mali materies.

CLXXVII.

Sed si cum signis (CLII) simul illa adsunt (CLIII, CLIV), quibus determinatio significatur, fiant modo dicta (CLXXVI), simulque locus praevisus (CLIII, CLIV) suctu, laxatione, stimulo, aperientibus ita tractandus, ut minus resistat, plus trahat.

CLXXVIII.

Si (CLV) obtinet, fiant eadem (CLXXVI, CLXXVII), sed simul aperientia paulo fortiora, saponacea, hepatica addantur, tum clysmata, et fomenta his constantia.

CLXXIX.

Malum vero, quod descriptum (CLVII) raro medelam capit, nisi forte emollientibus externis, internis, atque motu equitationis, vel vectionis in rheda cedat parum.

CLXXX.

Quando in ipsam jam gangraenam abiit (CLXI), incurabilis est.

CLXXXI.

Si autem peripneumonia per sputum jam expurgari coepta, incipit suppressum id habere, statim summa ope nitendum, ut iterum id prodeat. Tales causae impedientes sunt saepe: magnum frigus subito admissum; ingens exsiccatio undecunque nata; febris calida superveniens; medicamenta calefacientia; alvus liquida, nec critica; sudor ingens; animi affectus vehementior; vel vero virium vitalium prostratio vera.

CLXXXII.

Tum statim ad vicinitatem partium a suppressa, et aggestu increscente materie, inflammatio nova exoritur; unde illico eadem symptomata, quae a peripneumonia primaria (CXL); illa autem tum debilitato jam corpori accidentia, ut plurimum cito letalia evadunt.

CLXXXIII.

Illi autem vitio (CLXXXI), ejusque sequelis (CLXXXII) occurritur vapore assiduo calidi, humidi, emollientis, naribus, ore attracti, pulmonibus recepti; toto aëre simili huic vapori per artem reddito; usus etiam largus potuum similium, cum melle inprimis et aceto, multum prodest; medicamenta leniter resolvendo antipyretica; leniter opiata; sudoris evitatio; maxime tandem placida animi quiete: in virium vero vitalium defectu cardiaca.

CLXXXIV.

Peripneumoniae symptomaticae in febribus et morbis febrilibus quibuscunque, vario morbi stadio subortae, difficillime saepe cognoscendae, hinc saepissime (maxime in febribus putridis) praetervisae, et perniciosae, methodum medendi poscunt, tam ab individua pulmonum inflammatione, quam a febre principe indicatam.

CLXXXV.

Ex dictis intelligitur ratio, cur in peripneumoniae principio subinde apoplectici pereant? cur pulsus in peripneumonia nonnunquam debilis, venae sectione facta sit fortior? cur

subinde durus sit in peripneumonia, subinde mollis, et quid inde doceamur? cur in morbo gravissimo, respiratione brevi, abdominali; sermone multis parvulisque inspirationibus interciso, aeger se facile respirare asserat? quaeve tunc prognosis? cur quidam in peripneumonia non gravissima, remediis aptis adhibitis, rebus in meliora tendentibus, subito pereant suffocati? cur aliquibus quasi vomica rupta videatur, sine signis suppurationis, aut antecedentibus, aut subsequentibus, fuerintque servati? cur abscessus pulmonum tam raro sanentur, et quales? cur empyema ex peripneumonia semper letale? cur tam difficilis sit diagnosis peripneumoniae in infantibus, pueris, mente motis; item peripneumoniae symptomaticae in febre putrida? cur tanti momenti sit consideratio respirationis in omni morbo acuto; an toto thorace, eoque alte, et aequabiliter sublato, costis elatis, diductisque respiret aeger? cur thoracis regio, quae pulmonis partem inflammatam continet, percussa, non, aut minus resonet, secus ac altera respondens, et quid doceat universim percussio thoracis? cur fere duae tertiae partes hominum pulmones pleurae

connexos habeant, aut nullo vinculo intermedio, aut interposita tela cellulosa, aut membrana praeternaturali, crassa, dura, e diversis stratis, diversae tenacitatis, composita?

---

## PLEURITIS, ET PLEUROPERIPNEUMONIA LATENS, CHRONICA.

### CLXXXVI.

Si morbus idem (CXXVIII, CXXXVII) ad speciem mitis, atque ορθοςαδην affligat, pleuritis aut peripneumonia *latens* dicitur, ob frequentiam mali, fallacem lenitatem, hinc medelae neglectum, certumque inde discrimen, hic curatius expendenda.

### CLXXXVII.

Febricula per vices, vel et assidua, levissima, aut febriculosa solum diathesis a medico saepe, ab aegroto saepissime non animadversa, utpote obambulante; dolor lateris exiguus, fixus tamen, tussi, aut forti sub inspiratione excitatus *Pleuritidem occultam* notant: *Pleuroperipneumoniam* vero *latentem*, si continua, utut exigua, thoracis oppressio simul adsit.

CLXXXVIII.

Est saepe chronica, non raro haereditaria, tuncque in phthisin terminanda.

CLXXXIX.

Causas habet, 1. pleuritidis, aut peripneumoniae producendae idoneas, at mitiores. 2. peculiares quasdam, easque frequentius. Oritur nempe a praegressa pleuritide non ex integro soluta; a catarrho, inflammatorio facto, victu, medicamento, neglectu, anni tempore; a tuberculo inflammato ob causam febrilem quamcunque; a diathesi particulari ad eum morbum originaria, aut acquisita, quam prodit corpus gracile, atque extenuatum, cum ejusdem incremento majori, veloci, ac praematuro; thoracis configuratio prava ob rachitidem, ejusque ossea compages ob idem olim vitium tenuior et magis angusta, quam pro corporis reliqui mole, et continens pulmonem minorem, infirmioremque; scapulae alatae; collum tenue atque elongatum; vultus amabilis; genae assidue rubentes; ingenium praecox, subtile; fibra delicata, summopere irritabilis; sanguis phlogisticus; acrimonia arthritica.

CXC.

Ita praedispositi, a febre, motu, potu, saltu, nixu, refrigerio sudante corpore, plethora, pubertatis ingressu etc. latentem pleuritidem aut pleuroperipneumoniam patiuntur, cum sputo cruento, subinde largo. Malo saepius mitigato, identidem recurrente, per annos, donec ante 36tum aetatis annum in phthisin incidant immedicabilem.

CXCI.

Sanguis missus, crusta pleuritica semper tectus; mali levamen a parca, sed frequenter instituta phlebotomia, vivendi ratio mere antiphlogistica hic sola proficua, et curationes hoc modo subinde factae; vomicae pulmonum cetera dire inflammatorum in cadaveribus repertae, et longus decursus morbi pleuritidem, peripneumoniam, pleuroperipneumoniam occultam ac chronicam significant.

CXCII.

Inde liquet, cur tot mortes a catarrho neglecto, et quinam inde magis periclitentur; quaenam ejusdem curandi ratio? quae haemoptoë, et in quibus, sit periculosior; an tunc a frigidis actu, a tonicis, adstringentibus, an

vero ab antiphlogisticis sit sperandum auxilium? quanam ratione haereditarium hoc malum praecaveri, praevertique potius in infante, pueroque possit, quam in adulto sanari? cur superveniens arthritis, aut podagra regularis, aut haemorrhoidum frequens fluxus, suos a morbo liberet? cur inde Phthisici ab equitatione, cortice peruviano, lichene islandico, polygala amara, balsamis, atque universim ab omni impetum augente tantopere laedantur; et quae mens fuerit Sydenhami, equitationem commendantis in colliquatione?

---

## PLEURITIS SICCA.

### CXCIII.

Pleuritis dicitur adesse, quando aeger laborat acuta, continua febre (X, XIII), cum pulsu duro; dolore acuto, punctorio, inflammatorio, in inspiratu valide aucto, in exspiratu vel animae retentione leniori, mitiori pariter ubi respiratio, immoto thorace, maxime ope abdominis fit: tussi subinde, eaque sicca, dolorem magnum inferente, hinc suffocata.

CXCIV.

Quoties una cum his symptomatibus sputa ex pulmone symptomatica prodeunt, dicitur humida; quando haec absunt, sicca vocatur, distinctione non indifferente.

De priori supra (CXXVIII), de sicca nunc agendum.

CXCV.

Dignoscitur a pleuritide humida, seu Angina bronchiali per hoc, quod hanc tussis, sputa saepe cruenta comitentur; in sicca vero tussis aut nulla sit, aut rara, eaque sicca.

CXCVI.

Nulla est pars integumentorum interni thoracis, quam non aggreditur: tota ergo pleura, totumque mediastinum, hinc anterior, posterior, dextra, sinistra, superior, inferior, exterior, profundior pars aeque obsidetur hoc malo: sed inprimis latera: sedes pleuritidis siccae.

CXCVII.

Ubi autem ipsa membrana, costas interne succingens, doloris sedes, aut pars illa musculorum intercostalium internorum, vera, si

vero altius intercostales musculi, externi inprimis, vel et his superiora, laborant, spuria appellatur.

CXCVIII.

Adultos, sanguineos, lautius potos, pastosve, exercitatos valde, acidum raro eructantes, in morbos inflammatorios vergentes; verno tempore, maxime subito aestuante, post acre gelu, coelo; aut hyberno in acerrime frigido vento, infestat primario: tumque vocatur idiopathica.

CXCIX.

At ex materie praegressi inflammatorii morbi mota, et in loca descripta (CXCVI, CXCVII) delata, exorta symptomatica dicetur.

CC.

Pro causa antecedente habet, 1. omne id, quod inflammationi generandae cuicunque aptum. 2. id, quod hanc causam generalem determinat in pleuram praecipue; quo pertinent maxime, natura aegri haereditariam ad eum morbum diathesin habentis; morbus praecedens, qui reliquit dispositionem eadem proferentem, ut est pleura incrassata ob praegressam olim inflammationem imperfectae resolutam, pseu-

domembranis obducta, pulmoni adnata; natura epidemici morbi praedominantis; aër frigidus, per angustas rimas violenter actus in nudatum corpus, ex labore vel igne prius valde aestuans; potus gelidus subito, magno haustu ingestus in corpore simili; aër hyemali tempore borealis gelidissimus. 3. μεταπτωσις materiae inflammatoriae, rheumaticae, arthriticae, biliosae, ichorosae, suppuratoriae, prius in toto, vel in aliqua parte, praedominantis, et dein quacunque causa huc depositae, ut in morbillis, variolis, tumoribus ulcerosis, ulceribus magnis, latis, subito evanescentibus, absorpta venis materie.

CCI.

Historia haec (CXCIII ad CCI), decursus mox exponendus (CCII ad CCVII), dissectio cadaverum pleuriticorum clare docent, eam esse inflammationem sanguineam, ortam plerumque ex febre acuta praecedente.

CCII.

Inde (CC, CCI) perspicue deducitur mali historia; incipit cum appetitu ciborum saepe magno; frigore; horrore; debilitate; lassitudine; febre: procedit cum calore sensim in

aestum excrescente; siti; prostrato appetitu omni; dolore ab miti in acerbissimum tendente; respiratione valde laesa; viget cum febre violenta, sed minus manifesta, ob respirationem coactam, et prae sensu doloris summi suffocatam; pulsu in carpo affecti lateris saepe molli, fictitie debili, obscuro: unde saepe turpiter fallitur medicus: inde desinit in varios eventus, pendentes ex pluribus causis, sed inprimis a diversitate mutationum inflammationis, natura loci ubi malum est (CXCVI, CXCVII) et consideratione harum circumstantiarum, prout partes plures (CXCVI, CXCVII) affectae simul; prout impetus circulantis liquidi violentior; aut major malignitas ipsius morbi principis (X, XIII), eo symptomata cuncta pejora; inprimis respirationis et pulsus vitia magis a naturalibus recedentia, ut et excretorum.

CCIII.

Exit in sanationem, alios morbos, vel in mortem.

CCIV.

In sanationem ope naturae, vel artis in initio, dum simplex adhuc morbus.

CCV.

Sanatur auxilio naturae, vel resolutione benigna, vel coctione et excretione mali.

CCVI.

Resolutione, si contingunt simul causae inflammationis levioris; tumque benignitas symptomatum nihil agendum docet, nisi ut levi victu, blandissimis aperientibus, mollissimo fotu, malum levetur.

CCVII.

Coctione et excretione causae sanatur, inprimis observatis hisce: 1. quoties haemorrhoides debita copia liquidum aptum opportuno tempore fundunt; 2. quoties urina copiosa, crassa, hypostatica, stranguriosa, subrubra cum albo sedimento fluxit, cum levamine malorum ante quartum diem; 3. si alvus materiem flavam biliosam ante quartum diem copiosam cum levamine ejecerit; 4. si abscessus ichorosi, purulenti, fistulosi, diu manantes, ante sextum diem incepti, post aures, vel ad crura, prodierunt (juxta CLI ad CLVII); 5. dolor lateris si transit ad humerum, manum, dorsum, cum stupore, dolore, gravitate illarum partium; 6. si sputum, quod et siccam subinde

sanat, ex parte, liberale, levans, sine coryza, copiosum, mox puriforme, album statim, vel ante diem quartum, continuatum, vel a suppressione statim rediens: inde enim nono vel undecimo die salus.

CCVIII.

Ubi signa accurate observata docent, statum pleuritidis (CXCIII) adesse modo descriptum (CCVII), tum medico nihil mutandum, sed omnia continuanda incumbunt. Ergo neque venae sectio, neque evacuatio, vel mutatio alia instituenda. 1. victu molli, tenui; animi corporisque quiete; aëre temperate calido, et humido; somno spontaneo, vel lenibus conciliato; medicamentis mollibus, tenuibus, levissime aperientibus, utendum. 2. deinde evacuationi cuilibet singulari proficienti providendum: ergo in statu (CCVII, Nr. 1) anus fovendus molli, laxante, aperiente fotu; aut, si minus sic processerit, hirudinum applicatarum suctu. Si (CCVII, Nr. 2) observatur; statim fomenta similia renibus, perinaeo, hypogastrio apponenda; lenia emolliendo diuretica, qualia ex tota althaea parantur, danda; aër paulo minus calidus curandus; sudor, et aliae evacuationes vi-

tandae; blanda clysmata prosunt. In casu vero (CCVII, Nr. 3), similia fomenta emollientia toti obvolvenda abdomini; clysmata laxantia injicienda alvo; victus laxans instituendus. Ubi denuo quartus status (CCVII, Nr. 4) adest praevisus (CLII), et simul locus (CLIII, CLIV, CLV), innotuit, tum utendum memoratis (CLXXVI, CLXXVII, CXXVIII), et apertura facta suppuratoriis locum aliquamdiu apertum tenentibus. Deinde in casu (CCVII, Nr. 5), praeter communia, partes, in quas dolor migrat, fovendae mollibus, calidisque, fricandae leviter, stimulandae emplastris parumper attrahentibus, sinapismis. Denique in ultimo dato (CCVII, Nr. 6) tota res eadem ac in peripneumonia bona, adeoque omnia huc repetenda ex (CLXVII, CLXVIII), et agenda.

CCIX.

Arte autem, sine alio morbo, sanatur pleuritis hac inprimis methodo: si pleuritis (CXCIII) recens, magna, ex symptomatibus validis (CXCIII, CCII), sicca (CLXIV), in robusto, exercitato, sicco corpore, sine spe, vel praesentia (CCVI, CCVII); tum 1. cita, larga, accelerato fluxu celeris, ex magno vase, per magnum vulnus,

missio sanguinis in brachio dolenti lateri propiore instituenda, corpore quiescente, supino, et respiratione, dum fluit, tussi, suspiriisque accelerata, loco affecto eodem tempore foto, et leniter perfricto; debet continuari in remissionem satis notabilem doloris; debet repeti ex consideratione redeuntium denuo symptomatum, ad quae tollenda prima instituta fuit; respirationis libertas finem definit. 2. statim adhibenda fomenta, balnea, tepefactoria, linimenta, emplastra, quae laxando, resolvendo, mitificando, avertendo, prodesse queant; scarificatio affecti lateris, aut hirudo. 3. tum ea medicamenta danda, quae diluant, resolvant, laxent, mitigent, refrigerent, dolorem leniant, aut sopiant, quae calida, humida, magna copia sorpta, et ad locum affectum determinata, juvant, et pro mutatis phaenomenis varia assumenda sunt, semper curando, ut eligantur illa, quae emollientissima. 4. victu tenui, molli, refrigerante, antiphlogistico est opus. 5. denique omne exsiccans, calefaciens, impetum augens, vitandum; ut calor aëris, solis, foci, lecti, victus, medelae.

CCX.

Quae ipsa (CCIX) quamdiu continuanda, vel repetenda sint, docet morbi pertinacia, remissio, atque in sanationem (CCVII) mutatio.

CCXI.

Abit in alios morbos, dum 1. suppuratur locus inflammatus, quod futurum scimus, α. ex signis generalibus suppurationis nascentis. β. ex pertinacia doloris, tussis, febris, ultra undecimum diem. γ. absentia signorum resolutionis (CCVI), et sanationis (CCVII). δ. neglectu medelae requisitae (CCIX).

CCXII.

Ipsum vero apostema jam fieri, scitur ex signis communibus suppurationis jam factae; maxime hic ex horrore saepe recurrente sine causa, et signis datis (CXLVIII, CXLIX) in peripneumonia, et tempore morbi: inde et factum cognoscitur.

CCXIII.

Febre enim 14to morbi die nondum penitus profligata, sed tamen plurimum mitigata; dolore non acuto, sed obtuso; exacerbationibus febrilibus mox insurgentibus post pastum, vesperi; sudore autem nocturno, copioso, ad

paucas horas ferme iterum mane evanidis; gena utraque vel alterutra a meridie rosea; siti assidua; calore genarum, frontis, et ad volas majori, suppuratum locum antea inflammatum constat.

CCXIV.

His praesentibus suppuratus locus adhuc conclusus est; at vero paulo post dolor acerbissimus circa diem vigesimum oritur de novo, falso pro nova pleuritide habitus. Membranae tunc distractae, tensae, ruptioni proximae acute dolent.

CCXV.

Abscessus vero ille pure proprio rumpitur, unde pus stillat in cava pectoris dolore quidem sublato, sed respiratione magis laesa. Ulcus novo pure facto et accumulato totum cavum replet, totum corpus consumit. Id factum noscitur ex praegressis signis (CCXI, CCXII), duratione mali usque in vigessimum diem, symptomatum subita remissione et repentino reditu; inde Phthisis.

CCXVI.

Febris enim increscit purulenta, quotidiana, vespertina, semitertiana, quartana re-

mittens; decubitus supinus aut semisupinus in latus affectum difficillimus, suffocans in latus sanum; lateris affecti totius calor major, intumescentia levis, ad attactum dolorifica; mamma illius lateris major, subinflammata, suboëdematosa, purpurascens, variegata; tussis sicca; respiratio profundior solo ferme sano latere peracta, costis lateris affecti vix diductis, aut elatis; thorace quoque anteriore, qua is locum affectum spectat, vix moto, vix sublato; in sessione scapula aegroti lateris magis depressa, et spina dorsi curvata, in latus sanum gibbosa; sonus percussi thoracis, aut dorsi infra scapulam, inspiratione magna antea facta, in latere affecto nullus, aut qualis percussi femoris esse solet.

CCXVII.

Ubi ergo per signa (CCXI, CCXII) novimus inflammatum abscedere, locus ante dolens notus usque circiter ad pleuram incidendus, suppuratoriis apertus servandus, ut materies extrorsum versa vi pulmonum a pleura caveat, ne fiat empyema: dein emolliendus, donec mundatio facta sit.

CCXVIII.

At vero si constat per signa (CCXV) jam rupto apostemate pus formasse empyema; illico thorax aperiendus, pus educendum, vulnus percurandum, victu, et medicamentis.

CCXIX.

Thorace aperto spes est sanationis, si pus bonum, pulmones integri, aetas florens, habitus corporis bonus, absentia praedispositionis ad phthisin, viribus vitae nondum dejectis, febre tabifica vix inchoata, et mox cessante, emisso pure.

CCXX.

In alium quoque morbum abit, scirrhoso, callosove facto loco affecto, tum etiam pulmone pleurae jam adnato; quae ubi facta, oritur asthma, dyspnoea, tussicula sicca, inprimis a pastu vel motu corporis; ex quibus cognoscitur, si praesentia sunt sine signis abscessus (CCXII), vel empyematis (CCVIII), et inprimis, si diu, sine magno mali incremento durant.

CCXXI.

Cognitum hoc malum (CCXX) vel nullo remedio medicabile; vel tolletur vita duriore, la-

bore, aëre libero, rusticatione, equitatione forti, multumque repetita.

CCXXII.

Terminatur morte subitanea, suffocante, ob materiem inflammatoriam repente, magna copia ex inflammata pleura in cavum thoracis, die critico instante, depositam; respiratione parva, accelerata, laboriosa, erecta; pulsu celerrimo, debilissimo; extremis frigidis. An mors averti posset, mox instituta paracentesi thoracis, priusquam lympha coëat?

CCXXIII.

Nisi forte ob eandem materiem (CCXXII) minus copiosam, successive depositam in cavitatem thoracis, aeger servetur.

CCXXIV.

Cum lympha haec inflammatoria non diu fluida maneat, sed coëat in membranam, tandem duriorem, lardaceam, semicartilagineam; pulmonem veluti sacco arctiori concludet, et arcte cum pleura religabit, vasis rubris in pulmonem et pleuram immisis destincta.

CCXXV.

Inde asthma insanabile, praecipue in motu plethora, febre.

CCXXVI.

Inde in morbo febrili quocunque pleuritis symptomatica, et frequens in novas pleuritides relapsus, cui prospicitur vitae genere antiphlogistico, et venae sectione prophylactica.

CCXXVII.

In gangraenam quoque talis inflammatio transit primo lateris, mox, vicinia loci, pulmonis (CLXI).

CCXXVIII.

Quod malum (CCXXVII) vel ex vehementia pleuritidis, vel ex acri, aut putri materia concomitante simul oritur.

CCXXIX.

Id vero futurum esse, et jam inchoari praesagitur ex variis: si sputa purulenta subbiliosa, rotunda, purulenta subsanguinea, nigra fuliginosa, coenosa, foetida, strepitus in pectore multus cum vultu moesto, oculis rubroflavis, pulverulentis, caliginosis, si sputa initio varia; tum saepe tertio vel quinto die moriuntur. Si stertor, sputum nullum, vel difficile, pulsus languidus, urina flammea: si alvi fluor liquidus, foetidus, putridus, symptomaticus; si supervenit magna peripneumonia: si

novus insultus priori succedit; si sanguis floridissimus effluit ex vena secta sine crusta inflammatoria, licet ex largo vulnere, pleno saltu, puro vase exceptus sit: si sputum supprimitur dyspnoea manente, vel aucta cum dolore, gravitate pectoris, pulsu duro, parvo, celeri, calore magno; haec enim quinto die exacerbata septimo mortem inferunt: si urina praerubra, obscura, cum varia hypostasi, nec discreta, intra quatourdecim dies occidit: si hypostasis nigra, vel furfuracea, citior mors: si initio mitis, quinto vel sexto die exacerbata, septimo et duodecimo periclitantur, raroque sanantur, nisi post quatuordecim dies: si dorsum, latus, humeri cum rubore accenduntur, cum angore summo, alvi fluxu viridi, et foetidissimo. Item

CCXXX.

Si sicca ob defectum virium, ob dolorem summum, ob ineptitudinem materiae ad expulsionem, ob vasa nimis contracta et crispata, ob nimium usum calidorum, dolore simul vergente ad superiora: si lingua statim sicca, sordibus obsita, livida, nigra, cum bulla nigra: si horum signorum (CCXXIX, CCXXX) singula,

vel plura simul, eveniunt, plerumque morbus ex se letalis, non facile sanandus, sed ut plurimum gangraena loci in latere, et vicino in pulmone, necat.

CCXXXI.

Quando autem haec signa (CCXXIX, CCXXX) jam imminere id malum (CCXXVII) designant, statim uno impetu summa remedia tentanda sunt; nec vitae auxilio, nec leviori fidendum medelae, modo aliquae vires supersint.

CCXXXII.

Ergo hoc casu (CCXXXI) statim vesicans lateri dolenti applicandum; tum fortia diluentia, aperientia, antiseptica, sudorifera, larga copia hauriantur; his enim, si ullis, lenietur mali saevities.

CCXXXIII.

Sed si causa inflammatoria vehementissima summa crearit symptomata pleuritica, nec auxilio naturae (CCVI, CCVII) nec remediis ullis antipleuriticis (CCIX, CCXXXII) cedentia, et haec dein subito, sine causa tolluntur, quatenus ab inflammatione pendebant, manente pulsu parvo, celeri, intermittente; respiratione celeri, parvaque; sudore frigido; constat gan-

graenam jam occupasse loca inflammata. Hinc delirium brevi, statimque mors; maxime, si simul lividus thoracis color: quod idem fit, si ille, qui sputum subbiliosum excreat, dolore levatur sine ratione; tunc enim pariter letalis insania, mortis ex gangraena nuncia, adest.

CCXXXIV.

In mortem exit ipsa pleuritis tunc, quando tam vehementes causae ejus, ut dolor productus omnem motum thoracis supprimens brevi creet, impedito sanguinis trajectu, peripneumoniam letalem (CLXV) quam brevissime.

CCXXXV.

Hinc liquet, cur omni saeviori pleuritidi peripneumonia superaccidat? cur senibus, puerperis, gravidis, plerumque letalis? cur thoracis per fasciam adstrictio adeo dolorem levet, ut morbum tolerabilem reddat? constat quoque, quid sit pleuritis ascendens, descendens, dorsalis, simplex, duplicata, acuta, chronica, latens sive occulta? item, cur pleuritis infantum cognitu difficillima, et cur haec a convulsione universali saepe exordium capiat: inspiratio cum clamore, prohibita, uno latere peracta, altero introrsum tracto, febris, causae

producendo huic morbo pares praegraessae hic diagnosin suppeditant. Cur opium dolorem pleuriticum non tollat, nec expectorantibus nisi raro (CCVII, Nr. 6) locus sit? quando et ubi vesicans? nempe in pleuritide rheumatica, phlogosi fracta, materie mobili effecta; aut viribus vitae fractis tanquam cardiacum. Cur empyema post pleuroperipneumoniam letale? quae pulsuum fallaciae sint in pleuriticis? an crebrior morbus in latere thoracis dextro, sed benignior; an rarior in laevo, et cum majori discrimine? an ob pericardium, ob cor ipsum simul inflammatum subinde? rarior quoque in sexu sequiori, itemque in sexu utroque ante annos pubertatis, sed eo periculosior?

## PARAPHRENITIS.

CCXXXVI.

Si morbus pleuritidi similis occupat eam membranae pleurae partem, quae diaphragma ambit, vel et ipsum septum medium, oritur morbus dirus, quem paraphrenitidem appellant.

CCXXXVII.

Qui longe frequentior, quam vulgo qui-

dem censetur; licet praesens saepe ignoretur, negligatur, vel alterius morbi titulo tractetur.

CCXXXVIII.

Cognoscitur ex febre acutissima, continua; dolore inflammatorio loci intolerabili ob membranas nervosas; qui dolor immaniter augetur in inspiratione, tussi, sternutatione, repletione stomachi, nausea, vomitu, compressu abdominis in alvo, vel urina reddendis; respiratione hinc sublimi, parva, celeri, suffocativa, quiescente abdomine, solo thorace peracta; delirio perpetuo; hypochondriorum introsursum revulsione; risu sardonio; convulsione; furore; gangraena.

CCXXXIX.

Exitus idem, ut in pleuritide (CCIII, CCXI, CCXVIII, CCXX, CCXXVII); sed ob motum partis magnum et assiduum, ob necessitatem ad vitam, ob nervosas membranas tensas, omnia velociora, funestiora; et ascites hinc purulentus.

CCXL.

Curatio hinc easdem distinctiones et cautelas requirit, tum eadem ferme remedia, exceptis iis, quae loci situs respuit. Clysmata mollia ob viciniam loci saepe juvant.

CCXLI.

Ubi vero suppurato diaphragmate prius inflammato, abscessus in cava abdominis ruptus suum pus evomit; fit collectio ejus in abdomine, aggestio, putrefactio, tumor, viscerum exesio, tabes misserima, mors.

CCXLII.

Estque totum hoc malum insuperabile, licet cognitum.

CCXLIII.

An frequentior morbus in latere dextro, cum aut sine hepatitide? an delirium semper, aut quando adest? cave, ne vomitum aeruginosum, assumtorum, inanem, habeas pro saburrali.

---

## INFLAMMATIO MEDIASTINI, PERICARDII, CORDIS.

CCXLIV.

Inflammatio mediastini scitur ex febre acuta, continua, inflammatoria, cum aestu magno circa thoracem medium, dolore ibidem obtuso, et tussi sicca.

CCXLV.

Huic febri, si syncope et pulsuum perturbatio jungatur, aestuante et obtuse dolente regione cordis, erit inflammatio pericardii, priori (CCXLIV) periculosior.

CCXLVI.

Exitus uterque morbus cum pleuritide sicca eosdem habet, curationem quoque eandem, habita ratione diversae partis affectae.

CCXLVII.

Ipsius cordis inflammatio causas cum inflammatione mediastini, pericardii, pleurae (CC) pulmonum (CXXXIX) easdem agnoscit.

CCXLVIII.

Noscitur, 1. ex signis generalibus febris inflammatoriae. 2. ex aestu et dolore obtuso, pressivo circa cor, cum anxietate, jactitatione; syncope, pulsu debilissimo, accelerato, vacillante, mire vario. Praeceps malum, cum priori (CCXLV) subinde mihi visum, et secto cadavere demonstratum.

CCXLIX.

Inde puris, seri, materiae inflammatoriae collectio in pericardio, ejus cum corde con-

cretio, et apparens defectus explicatur: qualia vidi.

---

## HEPATITIS ET ICTERUS MULTIPLEX.

CCL.

Ut viscera et partes, de quibus hactenus, ita hepar quoque inflammationis capax; frequens morbus, licet raro de eo cogitetur, cum originarius, tum symptomaticus; non animadversus multoties, aut pro alio habitus, errore non raro pernicioso.

CCLI.

Pars hepatis gibba inflammata ob respirationem impeditam, dolorem lateris dextri ad jugulum usque protensum, acutum, punctorium, tussi et inspiratione auctum, imponit nonnunquam medico sub imagine pleuroperipneumoniae; quemadmodum inflammatio simae partis ejusdem ob nauseam, vomitum assumtorum, et bilis variae febrim biliosam mentitur, tum praeprimis, si loco doloris acuti sola anxietas adsit.

CCLII.

Antecedunt utrumque (CCL) causae similes,

nempe generales inflammationis cujuscunque, determinatae inprimis ad haec loca; metastasis lymphae inflammatoriae e loco antea inflammato ad hepar facta, itemque materiae febrilis cujuscunque, coctae, humori biliformi assimilatae, ad hepar ablegatae, ibidem ob copiam, impetum, acrimoniam, spissitudinem adhaerescentis, impactae, inflammantis; constitutio anni huic morbo magis favens; tum nonnullae huic maxime loco propriae, quae multae quidem huc referendae: obesitas omenti ingens; atrabilaria cruoris, bilisve temperies; acrimonia stagnantis alicubi materiae purulentae, ichorosae, scorbuticae; si his accedit calor, febris, motus, victus, medicamentum, venenum, quod eliquat, movet, in hepar promovet; bilis pinguis, acris, exusta, per suas causas agitata, lapis, gypsus, scirrhus, callus, coalitus, steatoma, apostema, cancer, vermis, aliquem locum jecoris, vesiculae fellis, meatus bilarii occupans, premens, comprimens, lacessens; si accesserit tum similis causa excitans, ut mox enumerata; subita fortis frigoris per aërem, potum, natationem, calefacto fortiter prius jecori applicatio; sitis diuturna in magno motu,

aestu, sudore; febris ardens cum inedia et defectu potus; summae animi perturbationes; maximi motus per vomitoria excitati; mala hypochondriaca inveterata.

CCLIII.

Ex his tam multiplicibus causis (CCLII) orta inflammatio varios habet effectus pro varietate dispositionis praecedentis in jecore, pro varietate materiae motae et inflammantis; tandemque pro varietate causae pellentis.

CCLIV.

Dum vero indolem communem inflammationis sequitur, vascula obstruit; fluida sistit; tumorem elevat; vicina comprimit; eadem ac in suo loco producit; hinc sensim increscit, totum fere occupat, ventriculum impedit, et ab eo repleto dolet, sic et diaphragma; omnem cruorem arteriae coeliacae, et binarum mesentericarum impedit, ad hepar sistit; adeoque omnem venosum, arteriosum, lymphaticum fluorem in visceribus primis abdominalibus integre impedit; bilis generationem, secretionem, excretionem, circulationem, actionem invertit; icterum producit, ejusque effectus, putrefac-

tionem omnium liquorum et viscerum abdominalium producit; unde infinita mala.

CCLV.

Hinc, inflammato hepate, pondus, dolor saepius obtusus, raro acutus, attactus impatiens; decubitus supinus, et in dextrum latus facilior, in sinistrum difficilior; respiratio solo thorace, potissimum sinistro, peracta; inspiratio laboriosa, exspiratio facilis; os amarum, vomituritio; vomitus variae bilis, et assumtorum; cardialgia; anxietas, jactitatio; alvus pigra, urinae parcae, croceae, oleosae, cum sedimento lateritio. Viscerum vicinorum inflammatio communicata, et varia eorundem mala. Haemorrhois ad anum, vesicam, ejus collum, urethram. Icterus multiplex, et multiplices effectus illius.

CCLVI.

Habetque pariter exitum in sanitatem, alios morbos, mortem.

CCLVII.

In sanitatem transit beneficio naturae, vel artis.

CCLVIII.

Per naturam autem benigna resolutione,

aut coctione et excretione materiae morbosae.

CCLIX.

Resolutione, si materies recens, lenis, et reliquae benignae inflammationis conditiones adsunt: tum ars diluendo, solvendo, leniter movendo, per epithemata, potus, clysmata, negotium promovet.

CCLX.

Coctione, et excretione, dum in morbo hoc per sua signa (CCLII, CCLIII, CCLIV) cognito, 1. alvus fluit biliosa cum pauco cruore ante diem quartum: 2. urinave excernitur multa, acris, crassa, rubra cum sedimento subalbo, diu continuata, ante diem quartum; 3. superveniente dolore mitiori lienis ante signa suppurationis; 4. haemorrhagia larga ex nare dextra; 5. sudoribus, materie, loco, tempore, continuatione, effectisque, bonis.

CCLXI.

Ubi primum apparet (CCLX, Nr. 1) statim epithematibus, clysmatibus, fomentis, potibus, victu, medicamentis, ea sunt subministranda, quae valent diluere, resolvere, movere, abster-

gere, leniter expellere, putredini biliosae inprimis obesse.

CCLXII.

Si alter casus adest (CCLX, Nr. 2) utendum dictis (CCVIII, ad curam CCVII, Nr. 2) inque iis addenda parum detersiva.

CCLXIII.

In tertio casu (CCLX, Nr. 3) eadem (CCLXI, CCLXII) peragenda; sed lieni simul, et toti viae ab eo in hepar, fomenta similia danda.

CCLXIV.

In quarto (CCLX, Nr. 4) nares interne et externe emollientibus, tepidis fovendae, donec ad levamen symptomatum fluxerit sanguis, tum vero, si nimius fluor, compescendus lente per stiptica et diaetam; ne nimis cito.

CCLXV.

In quinto denique (CCLX, Nr. 5) requiritur usus decoctorum diluentium, abstergentiumque largus.

CCLXVI.

Inprimis in his (CCLXI ad CCLXVI) cautio sit, ne aliquid materiae morbi in loco restet, difficulter postea superandae; et inde prima, atque benigna icteri species curatur.

CCLXVII.

Si recens, vehemens, sine signis et spe (CCLIX, CCLX), erit tractanda eisdem cautelis, remediis, methodo, ac pleuritis (CCIX), paraphrenitis (CCXL), et similes morbi: nisi quod ea, quae leniter vi antiphlogistica alvum emolliendo subducunt pota, et per clysma injecta, inprimis hic prosint.

CCLXVIII.

Inprimis opera danda, ne aliquid inflammationis restitet, aut ea diutius durans, ad vesiculam felleam, ductusque hepaticum, cysticum, choledochum producta, eorundem in cavo proprio, vel ad partes vicinas coalitus faciat. Unde icteri, universales, partiales, assidui, periodici; calculi vesiculae felleae, ductuumque cystici, hepatici, choledochi, ipsius hepatis; infinita alia mala, nulla arte superanda.

CCLXIX.

Signa autem perfectae sanationis, color non amplius ictericeus in oculis, facie, urina, faece alvi, cum absentia symptomatum (CCLIV).

CCLXX.

Unde noscitur origo, natura, effectus, curatio secundae speciei icteri gravioris.

CCLXXI.

Iudicatur quoque hepatitis crisi erronea, materie phlogistica repente transsudante. Inde ventris tumor, intestinorum coalitus et inter sese, et cum vicinis; dolores colici frequentes a motu, flatu, assumtis, insanabiles; alvus segnis; soli tandem enemati, aut purganti obediens, faex indurata, caprilla. Vomitus ingestorum, crassiorum primo aliquot a pastu horis, dein et tenuiorum; volvulus; ileus letalis.

CCLXXII.

Si autem in hepate inflammato (CCL, CCLI) remedia (CCLIX, ad CCLXIX) non, sero, frustra applicata; causa major; tum orietur suppuratio jecoris, similis ut alibi, nisi quod ob copiam multi hic liquidi cruenti et biliosi stagnantis raro bonum pus, nisi in parvis et exterioribus plerumque vero funesta putredo.

CCLXXIII.

Cognoscitur id futurum, 1. ex signis praegressae inflammationis in loco, dolore inflammatorio, ictero flavo in oculis, cute, urina, faece alvi, apparente, febre acuta; 2. ex absentia resolutionis (CCLIX), cocti excretionis (CCLXX) aut sanationis (CCLXI ad CCLXXII); 3.

ex mutatione symptomatum, remissa acutie doloris, sequente pulsatione, manente ictero, horroribus vagis; 4. ex duratione inflammationis non pessimae ultra triduum.

CCLXXIV.

Factum novimus, 1, ex signis (CCLXXIII) praegressis. 2. tumore loci. 3. mutatione symptomatum, loco doloris jam praesente gravitate partis, manente ictero. 4. ex debilitate magna, febricula hectica, siti ingente.

CCLXXV.

Tale apostema vel 1. totum depascitur jecur; 2. vel rumpitur in cava abdominis effuso pure sanioso; vel 3. per vasa biliosa in intestina; vel 4. per venam cavam in cruorem; vel 5. elato tumore accrescit peritonaeo, atque ibi abscessum externum hepatis format, ibi apparentem.

CCLXXVI.

Ubi hepar consumitur, tum tabe lenta icterica, cum febricula assidua, siti intolerabili, debilitate summa, anxietate inexplicabili, urina fere nigra, tympanitide, fluore alvi sanioso, foetidissimo, diu luctatus moritur.

CCLXXVII.

Qui casus (CCLXXXVI) eousque provectus, nullam medelam, vix palliationem capit; haec nova icteri idea.

CCLXXVIII.

Si ulcera facta hepatis, et jam rupta effuderint suam materiem in cava abdominis, collecto ibi puri assiduo novum addunt; omne corporis humidum et pabulum in novum pus convertunt, cuncta viscera putrefaciunt; hinc asciten, mentiendo tympanitidem, creant; unde post lentam, terribilemque tabem, et ejus symptomata, mors: similis fere priori (CCLXXVII) haec icteri species, nulla arte sanabilis.

CCLXXIX.

Quoties vero suppurata materies et ichor, exesis finibus meatuum biliosorum, in horum amplitudinem, indeque in intestina fluxerint, pro varietate affectatae viae, vomitus foetidos, putrefactos, purulentos, ichorosos, albi, cinericei, fusci, flavi, nigri coloris, vel similes alvi evacuationes producunt, cum summa virium jactura, titulo fluxus colliquativi, brevi letales. Novus hic iterum icteri exitus, maxime metuendus.

CCLXXX.

Si vero in venae cavae exesos fines, hinc in ipsam, denique in massam sanguinis eadem liquida (CCLXXIX) se effuderint, miscuerintque, teterrima oriuntur, et brevi exitialia, symptomata; animi deliquia enormia, frequentia; debilitates summae; pulsus omni modo malus; perturbatio omnium functionum simul; mors improvisa. Novus iterum icterus.

CCLXXXI.

Quo quidem casu (CCLXXX) nulla valida medela habetur, largus autem usus eorum, quae vires focillant, putredini resistunt, humida restituunt, aliquid proficit.

CCLXXXII.

At si ultima obtinet mali species (CCLXXV, Nr. 5) tum deprehensus tumor, lino, causticis, lanceola aperitur; vulnus leniter erodentibus et suppurantibus tam profunde exeditur, donec ad vomicam perventum.

CCLXXXIII.

Si tum album, aequale, laeve, inodorum, specillum non colorans, pus extrorsum exit, spes est: oportet enim ut ulcus tractare; simul interna depurantia medicamenta adhibere.

CCLXXXIV.

Si autem flavus, fuscus, lividus, niger, foetidus, specillum colore iridis inficiens, saniosus, amurcosus ichor prodit, sensim exedetur jecur; consumetur aeger; fientque fere eadem symptomata (CCLXXX).

CCLXXXV.

Atque rursum si materies inflammatoria, febre cessante jecinori impacta manet, scirrhus ibi nascetur; qui tumore, duritie, incremento, et suam sedem, et vicina laedit, hinc iterum eadem fere mala, sed lenta producit; mollibus non auscultat; acribus in cancrum horrendum vertitur, cujus dein terribilia effecta intelliguntur ex indole cancri comparata cum hac sede affecta: praecipuum scirrhi talis effectum icterus perpetuus; tabes ictericea, hydrops immedicabilis.

CCLXXXVI.

Unde patet, id malum per sua signa cognitum, mitissime tractandum, sanari vix unquam.

CCLXXXVII.

Si autem in parva modo parte jecoris exigua talis inflammatio haesit, calculo, scirrho

exiguo, pustulae, exiguo abscessui, originem dabit: quae per se parum, sed orta febre multa mala pariunt (CC).

CCLXXXVIII.

Tandem etiam inflammatio hepatis desinit subito in mortem, si causae inflammationis tam validae, ut nihil per totum jecur transire queat, febre simul intensa urgente: tum strictum ad fines, dilatatum ad vasa hepar, nullam functionem obit; fit icterus subitus et ingens; rumpuntur vasa; effunditur sanguis et bilis, moritur illico aeger. Id futurum praedicit, 1. vis morbi in hepate cognita. 2. inflammatio erysipelacea ad hypochondrium dextrum, in homine cacochymico. 3. summa et subita resolutio virium mox in morbi principio. At vero jam fieri docet anxietas ingens, jactitatio, attactus regionis hepaticae vel levissimi impatientia; vomitus, aut secessus sanguinis, bilis, faecis amurcosae, viridis, nigrae, foetidissimae, cadaverosae; singultus magnus, perpetuus; febris intensissima; aestus intolerabilis, sudore interim frigido, in magnas guttas collecto, lingua et artubus frigidis; sitis inextinguibilis; subitus admodum pallor; pulsus debilissimus, celerri-

mus, formicans; meteorismus; facies hippocratica.

CCLXXXIX.

Ex his omnibus expositis (CCL ad CCLXXXIX) intelligi possunt infinita symptomata in morbis acutis occurrentia; quorum ignota ratio inanes malignitatis fabulas produxit: nam ab hepate omnia viscera abdominis, adeoque omnes illorum actiones, digestionis, assimilationis, nutritionis, refectionis sanguinis, excretionis alvinae, pendent. In hepate triplex, facile in calore putrescens humor, sanguis multus et solutus, bilis vesicaria, et hepatica: hepatis cum diaphragmate et corde magna vicinitas: finibus biliosis obstructis facile liquor portarum biliosus in cavam transit. Tum ex iis solis perspicitur, quam varia, quam multiplex icteri idea? cur aliquando facile sanetur, et quando? cur saepe sit pertinacissimus? cur saepe cito, saepe tarde admodum occidat? cur per vices accedat, maneat, abeat, redeat? cur cum tantis anxietatibus, vomitu, dolore, convulsione, praecedentibus, appareat, quiescat, redeat? et quid tum denotet? cur in acutis tam calamitosus ante septimum diem? cur tam dif-

ficilis curatu in iisdem post septimum diem? cur icterus subinde hepatitidis causa, subinde vero effectus? cur dysenteria larga, cito desinente, tam bene sanetur? quando missio sanguinis hos morbos juvet? quando purgans, emeticum, solvens, resolvens, frictio mercurialis, oleosa, et ovorum vitelli? cur in omni morbo acuto adeo attendendum sit ad hypochondriorum dolores, tumores, retrosursum elevationes? cur hepatitis tam saepe pro cardialgia habeatur, et quo eventu? cur inflammatio hepatis toties imponat Medicis pro febre biliosa, et saburrali, et quam ambigua subinde diagnosis, quam periculosa deceptio? cur subinde icterus in hepatitide, subinde non? cur color oculorum, urinaeque tam cito icterum praesentem, et abeuntem designent? cur vitia inflammatoria, suppuratoria, gangraenosa, scirrhosa, cancrosa, lienis, ventriculi, omenti, mesenterii, intestinorum, semper ipsum hepar adeo violenter infestent? cur tam enormiter vitia inflammatoria hepatis vicissim et scirrhosa, illa afficiant? cur jecur tam immensum augeri, tumere, iterumque exsiccari possit? cur hydrops a malo hepatis, et tympa-

nitis eo crudelior? cur ab hydrope extenuatio, et exsiccatio hepatis, cum praetumido liene; quae dysenteria hepatica? etc. sunt enim infinita, quae huc spectant.

---

## VENTRICULI INFLAMMATIO.

### CCXC.

Ut reliquae partes, ita quoque stomachus vera inflammatione corripi potest. Cujus signa, et effectus haec fere habentur: dolor ardens, fixus, pungens in ipso stomachi loco; ejus exacerbatio in ipso puncto, quo aliquid ei ingeritur, vomitus dolentissimus statim ab omni ingesto, cum singultu dolorifico; anxietas summa et perpetua circa praecordia; febris acuta continua. Ejus causae generales inflammationis, vel vicinia aliorum, vel acria ingesta, vel intus nata: venenum varium, medicamentum, acre erysipelatosum, variolosum, arthriticum, putridum, aphthosum, anthracodes, pestilentiale.

### CCXCI.

Brevi plerumque letalis fit, nisi subito curetur, ob laesam necessariam functionem, et infinitos nervos connexos.

CCXCII.

In sanitatem; morbos suppuratorios, scirrhosos, cancrosos, gangraenosos; vel in subitam mortem convulsionibus acceleratam, transire, ut reliqui inflammati, solet.

CCXCIII.

Simulac praesens per sua signa scitur (CCXC), statim valida sanguinis missione, si opus repetita; potu lenissimo nutriente, emolliente, antiphlogistico, causae contrario; clysmatibus, fomentisque similibus, diligentissime utendum. Cavendum summopere ab omni acri, maxime autem a vomitu.

CCXCIV.

More omnium aliarum inflammationum fit aut benigna resolutio, aut crisis, criticave evacuatio, morbo in sanitatem abeunte.

CCXCV.

Si in suppuratum abit, multa mala, maxime nausea, vomitus, dolor, succedunt, quae saepe mirabilia apparent; ignorata causa, raro curantur; cognita per curam abscessus tractari requirunt.

CCXCVI.

Scirrhus vomitum assumtorum, primo so-

lidorum, copiosiorum, dein vero liquidorum quoque et parce ingestorum; debilitatem, atrophiam, et tandem mortem lentam, miserrimam, cum fame diuturna, inducit. Tum vero ventriculus, pone pylorum potissimum, est induratus, tuberosus, semicartilagineus, ipso pyloro similiter constituto, et angustissimo. Palliatur malum, non sanatur.

Frequens quoque morbus inflammatione licet non semper praegressa, ex causis obstruentibus variis, primario in ventriculum agentibus.

CCXCVII.

Ubi cancrum procreat, tum enormes illos vomitus saniosos, ichorosos, foetidissimos; dolores intolerabiles, ad minima ingesta acerbatos, fixos, diuturnos, rodentes, urentes, ad omnia medicamenta aspera insurgentes, excitat.

CCXCVIII.

Insanabilia mala, solis liquidis, blandissimis, nutrientissimis, parce sed frequenter propinatis, delinienda.

CCXCIX.

Lienis, pancreatis, omenti, inflammati,

bene, maleve judicati, cum vicinis concreti, suppurati, indurati, gangraenosi, scirrhosi, cancrosi, origo, natura, effectus, cognitio, praevisio, curatio, palliatio, ex iis, quae de inflammatione in genere, deque ea ventriculi in specie, nota sunt, hauriri possunt.

CCC.

Inde quoque, simulque ex fabrica, situ, functione intelligitur, cur ventriculi inflammatio tam difficulter sanetur? cur vomitus, diarrhoea, cardialgia post variolarum, licet bonarum, eruptionem perstans tam funesti sit ominis? cur lienitis rarior, crebrior vero ejus obstructio lenta; quae inde noxa, quae medela et quis medelae effectus? cur lienis inflammatio subinde credatur, quae tamen est hepatis, et cur pro pleuritide nonnunquam lienitis imponat medico? cur lienis affectio habeatur, quae ad colon flatu, faece distentum, aut inflammatum pertinet? quae mala ex omenti inflammatione non bene resoluta, et vincula, tumores, cum vicinis coalitum faciente?

## INTESTINORUM INFLAMMATIO.

CCCI.

Intestina, maxime tenuia, et frequentissime, in suis membranis acuta inflammatione, ut ventriculus, saepe infestantur, a causis communibus inflammationis huc delatis; vel a materie acri potus, cibi, condimenti, medicamenti, veneni, assumta, huc delata; in plicis valvulosis retenta, haerente; tum etiam ab acri materie quacunque, biliosa, putrida, purulenta, ichorosa, gangraenosa, rheumatica, arthritica, atrabilaria, eryisipelatosa, variolosa, ex oesophago, stomacho, hepate, liene, pancreate, omento, huc appellente, haerente, rodente; denique a convulsione ingente praegressa, diutius perstante, flatus creante, motum sistente, sicque inflammationem creante; a vario eorum strangulatu.

CCCII.

Est autem haec inflammatio vel originaria, vel symptomatica.

CCCIII.

Nata his locis, contrahit intestina; cavitatem claudit; transitum appulsi impedit; fistu-

lam loco obstructo altiorem, ipsumque ventriculum immaniter inflat, extendit, dilacerat, inflammat; hinc dolorem acutissimum, ardentem, fixum, attactu, flatu, assumtis exacerbatum creat, perque omnem inflammatum locum extendit; convulsiones violentas, ubi appulsis irritatur, producit in diaphragmate et abdominalibus musculis; alvum claudit; vomitum excitat ingestorum, et appulsorum, citius, tardiusve post assumtionem, prout superius, vel profundius haesit; flatus dolentes; tormina cum borborygmis acutissima; ileum, volvulum; abscessum; gangraenam; scirrhum; cancrum; febrim acutissimam; debilitatem ex dolore acerbissimo summam; convulsiones universales, funestas maxime irritabilioribus; meteorismum; mortem citissimam; aut, malo mitiore, morbos longos, curatu difficiles, insanabiles producit.

CCCIV.

Principium morbi non raro imponit incautis: frigori, flatui, saburrae, spasmo, adscribitur periculoso successu: calidis, carminantibus, catharticis tractatur eventu funestissimo.

CCCV.

Cognoscitur autem tanquam vera inflamma-

tio, 1. ex febre acuta, continua, inflammatoria. 2. ex dolore assiduo, fixo, attactum non ferente.

CCCVI.

Si flexum coli occupat (CCCI), facit colicum dictum dolorem; si rectum intestinum infestat, tum aut pro lumbagine, aut haemorrhoidibus coecis, aut pro dysenteria, quae blanda, subcruenta, biliosa morbum subinde solvit, haberi solet.

CCCVII.

Simulac noscitur praesens per signa (CCCI, CCCIII), in eo statu statim, maximo molimine tentanda sanatio, quae acquiritur, 1. missione larga, et repetita sanguinis, ut in pleuritide, et hirudinibus ad anum applicatis. 2. assiduo injectu clysmatum laxantium, diluentium, antiphlogisticorum saepe repetitorum ad tertiam, quartam, et ultra, vicem uno die. 3. potu assiduo calido corundem, additis iis, quae causae singulari compertae adversa sunt. 4. fomentis ex similibus toti abdomini applicatis. Atque 5. interim caute cavendo ab omni acri, impetum augente, calefaciente, potu, cibo, medicamento, motu, animi affectu. 6.

tamdiu persistendo in usu horum, donec omne malum sedatum sit, nec tribus diebus redierit.

CCCVIII.

Si malo hoc (CCCI, CCCIII) praegresso, nec debitis remediis curato, et ultra triduum semper cum vehementia persistente, causis morbificis non validissimis, et in homine ceteroquin sano, loco doloris, ardoris, distractionis, successerit horror vagus per totum corpus sine causa, obtusus cum gravitate dolor in loco, signum erit ibidem formari abscessum, unde intra quatuordecim dies eo rupto effluet pus; quodsi in cava abdominis effluit, facit hydropem purulentum, et mala multa similia (CCLXXVIII); si autem effluit in cava intestinorum, facit dysenteriam purulentam magnam, parvam, longam, brevem, prout ulceris ibi facti natura dabit; inde aut tarda convalescentia, aut mors a tabe.

CCCIX.

Simulac id (CCCVIII) adesse noscitur, statim inhibendus omnis victus, unde stercus multum, durum, crassum, acre nascitur; aeger pascendus solis jusculis cum leniter deter-

sivis radicibus incoctis, decocta balsamica, detergentia, multum bibenda, et instar clysmatum injicienda; aut aquae fontanae medicatae larga copia cum lacte, vel solae bibendae: in his pergendum usque ad perfectam sanationem.

CCCX.

Subinde omnis omnino dolor cessat, secedente per anum membrana, tunicam villosam intestinorum aliquatenus referente, cum aegri salute: idem quoque cessat, ventre interea magis distento, ambiguo exitu, lympha phlogistica seu intra cavum abdominis, seu tubum intestinorum deposita.

CCCXI.

Convulsi quoque pereunt in vigore inflammationis summae, priusquam morbus noto quodam modo, et inflammationibus ceteris communi terminetur, si aeger infans, aut foemina, vel vero mas fuerit irritabilior, et irritatio magna.

CCCXII.

Si vero morbus habuerit causas violentissimas (CCCI), et produxerit saevissima symptomata, maxime vero in corpore cacochymico, poterit facile in illo loco (CCCI, CCCVI) produ-

cere gangraenam, miserrime dein letalem: idque certo, citoque fiet, si inflammatio fuerit erysipelatosa, erysipelate praeprimis bullato.

CCCXIII.

Quam futuram ex iisdem observatis praegressis facile praevidemus (CCCXII), si simul nulla benignae resolutionis (CCCVI), vel medelae (CCCVII), signa apparuerint.

CCCXIV.

Eam fieri docent signa praegressa (CCCXIII), tum subita, et sine causa, remissio accerrimi doloris, manente pulsu debili, intermittente, celerrimo, sudore frigido, artubus, apice nasi, et lingua frigidis, facie hippocratica; perstante interim, vel etiam aucta mentis acie, vel cum delirio miti, taciturno; atonia intestinorum, meteorismo, dysenteria foetida, cinerea, ichorosa, livida, nigra, cadaverosa, absque sensu aegrotantis. Unde brevi mors placida; malo, eousque provecto, medelam non capiente.

CCCXV.

At, si in intestinis dictis (CCCI, CCCVI) inflammatio diu perdurans, nec in summam saevitiem (CCCIII) ascendens, nec resolutione (CCCVI), nec medicamentis (CCCVII), nec sup-

puratione (CCCVIII) soluta, deinde reliquerit in loco affecto stuporem, gravitatem, distractionem, constantem, cogitandum est; scirrhum, vel scirrhoidem duritiem ibi nasci, membranis intestinorum tumentibus, duris, semicartilagineis; cavo inde coarctato, eliso.

CCCXVI.

Unde in hoc loco multa, gravia, pertinacia mala producentur: qualia inprimis: stupor, pondus, incrementum; assiduo aucta; hinc cavitatis intestinalis angustatio; faecum ibi et chyli stagnatio; horum in locum resistentem actio, maxime putrida, ob moram, materie; hinc intestini occlusio, et ejusdem supra locum angustatum enormis dilatatio; hinc intorsio; ingestorum remora; ileus; volvulus; vel ab acri irritante dysenteria siccior; convulsio; singultus; vomitus; dolor assiduus; febris; macies; atrophia; mors.

CCCXVII.

Medicamenta parum valent, quaecunque demum sint: victus sit ex liquidis, nutrientibus, parce, frequenterque ore assumtis, ano injectis, per modum balnei adhibitis. Sic fertur diu, sine magno malo.

CCCXVIII.

Si autem scirrhus ille hoc loco conceptus in cancrum abire cognoscitur, tum vero miserrimus rerum status, et immedicabilis cernitur: qui intelligi potest ex historia cancri, collata cum natura, functione, nervosa textura intestini: maxime autem dysenteria acerrima, assidua, rebellis, cuncta, per quae vadit, exurens, erodens, consumens, cum convulsionibus acerrimis, doloribus omni patientia majoribus, fixis, diuturnis, donec tandem mors unico sit miseriae solatio.

CCCXIX.

Si simulac scirrhi praesentia noscitur, tractatur methodo (CCCXVII), hoc malum (CCCXVIII) multum cavetur. Sed si, ad id superandum, acria applicata imprudenter, maxime per valida purgantia, tum cancer illic oritur, saevitque: tum autem potus ex solo lactis recentis sero; victus ex jusculis farinosis, carnosisve solis cum vitellis ovi; clysmata blandissima ex solo decocto seminum lini, foliorum solani officinarum, vel capitum papav. alb. iniicienda; medicamenta summopere demulcentia, anodyna,

leniter opiata, non facile in acre transeuntia, danda.

CCCXX.

Hinc demum liquet, cur practicis toties occurant dolores oesophagi, oris ventriculi, hepatis, lienis, pancreatis, intestini ilei, intestini coli, adeo saevi, fixi, pertinaces, intolerabiles, insuperabiles? quod in omni ileo vero sit semper causa physica transitum contentorum per intestinum absolute impediens, quaecunque demum haec fuerit, sive in ipsa scilicet intestini fabrica male affecta, sive in materie quadam cavum occupante, quae multiplex quidem deprehensa fuit, sive in parte quadam vicina intestinum premente, stringente? an et quando frigida, potu, epithemate, enemate, balneo, affusione, frictione adhibita in ileo? quando alvum sponte solvi in ileo bonum, quando vero letale? item quam sit multiplex, miraque omni modo, dysenteria? quanta sit prudentia opus medico daturo purgans, emeticum, carminans, narcoticum, in magno dolore illarum partium? quaenam saepe sit illa post haec in nonnullis sequens, immedicabilis hypercatharsis? quam varia remedia, et methodus medendi

requirantur ad dysenterias curandas? quam vanum, fallax, et damnosum sit, ad has commendare unum, qualecunque demum sit, medicamentum proprium? aut unam, universalem medendi methodum? cur idcirco dysentericis nonnunquam venae sectio quoque et emollientia prosint, evacuantia noceant? cur dysenteria infantum pejor, et eidem superveniens convulsio, letalis? cur in omni graviore colica, cujuscunque originis, fere semper conveniant antiphlogistica, emollientia? cur in omni dolore ventris cum alvi suppressione stipato inquirendum sit in herniam, forte incarceratam? cur intestinorum inflammatio tam facile confundatur cum colica biliosa? cur diarrhoeas symptomaticas febrientium subinde venae sectio sistat? cur in enteritide alvus subinde fluens, subinde valide sit constipata? cur in enterocele, recenti potissimum et parva, generosa methodus antiphlogistica fere sola conveniat, cum reponendi conatu? et cur, facta quoque repositione, eidem methodo diutius adhuc sit insistendum? cur purgantia, opiata, fumus nicotianae, argentum vivum deglutitum, ileum saepe augeant potius, quam sanent, et quando

his locus? cur tanti momenti sit putrida febre affectis ventrem probe examinare, num contrectatus doleat? quid sit meteorismus inflammatorius, quid inflammatorius tympanites? et quae mors in febre putrida frequentior? cur pulsus in maximo dolore ventris mollis, obscurus sit; quaeve hic fallaciae? cur in colica lactentium pusionum, et inde nata convulsione fotus, potusque emollientes non raro prae abscorbentibus, rheo, carminantibus, antispasticis? et infinita similia.

---

## N E P H R I T I S.

### CCCXXI.

Ipsos renes vera inflammatione occupari scimus ex dolore ardente, pungente, magno, inflammatorio loci, ubi renes siti sunt; ex febre acuta, continua concomitante; ex urina pauca, saepe, parva copia emissa, admodum, rubra et flammea, vel in summo malo, aquosa; item (morbo potissimum ad pelvim renalem, ureteres, vesicam protenso) stupore cruris vicini; dolore inguinis, testisque vicini;

dolore iliaco; vomitu bilis variae; ructu assiduo.

CCCXXII.

Hanc (CCCXXI) producunt omnes causae generales inflammationis renibus applicatae; adeoque 1. quidquid fines arteriae ad transmittendum impedit, vulnus, contusio, abscessus, tumor, decubitus diuturnus, nixus corporis validus, lapillus. 2. quidquid urinam in pelvim, ureterem, vesicam transire impedit, ut similes causae, ac mox enarratae, applicatae his partibus. 3. quae crassiora sanguinis vi adigunt in canales urinosos, ut cursus, saltus, equitatio diuturna et vehemens, vectio per strata viarum, aestus, nixus, plethora, diuretica acria, venena. 4. spasmodica omnium illorum vasculorum diu permanens contractio.

CCCXXIII.

Si summa inflammatio haec vascula occupat, ita saepe stringuntur, ut nihil reddatur lotii: aliquando, ut valde parum, pellucidum, tenue, aquosum, quod pessimum. Irritatis saepe nervis cohaerentibus, et vicinis, dolores et convulsiones facit per stomachum, mesenterium, intestina, ureteres; unde ructus, nau-

sea, vomitus, dejectiones alvi, ileus, urina intercepta, crurum stupor, horum immobilitas, lumborum ardor.

CCCXXIV.

Sanatur bonitate naturae, et morbi, 1. per resolutionem. 2. urina copiosa, ruffa, crassa, continuato fluore reddita ante diem morbi septimum, aut ad summum quartumdecimum. 3. haemorrhoidibus initio morbi large fluentibus.

CCCXXV.

Sanatur, ubi in statu inflammationis per sua signa noscitur (CCCXXI, CCCXXIII), 1. per remedia generalia omni inflammationi sanandae propria, detractionem sanguinis lanceola, hirudine ad anum admota, avulsionem, dilutionem. 2. decocta lenia, emollientia, antiphlogistica magna copia ingesta. 3. clysmata, fomenta, balnea ex iisdem constantia. 4. victu humido, leni, quiete, vitatione lecti calidi, inprimis autem decubitus in dorso.

CCCXXVI.

Vomitum nimium, morbi symptoma, saepe ingestu tepidi decocti cerealium, juris carnium, lenire prodest.

CCCXXVII.

Atque hac sola methodo curatur etiam ipsa nephritis a calculo, renibus, ureteribusve impacto, commoto, orta.

CCCXXVIII.

Quae si in casu (CCCXXVII) non suffecerint, opium prodest, spasmos sopiendo, stricta laxando; abstersa prius phlogosi.

CCCXXIX.

Si causae nephritidis magnae, nec malum resolvitur (CCCXXIV), nec sanatur (CCCXXV), sed excurrit ultra septimum diem, abscessus metuendus; quem fieri, docet remissio doloris, ejus in pulsationem mutatio, horror saepe recurrens, gravitas stuporque partis; jam factum esse docet praegressus priorum, tum pulsus, ardor, tensio in loco, urina purulenta, foetida, instar urinae salsae putrefactae: simulac abscessus ille factus scitur, utendum valde maturantibus primo et emollientibus, dein purulenta apparente urina, detergentibus puris ex aquis medicatis, cum, et sine lacte potis, sero lactis, similibusque, usurpatis simul balsamicis.

CCCXXX.

Si vero suppuratio illa (CCCXXIX) diu durat, totus ren exesus saccum format nullius usus, et adest tabes renalis, saepe diu tolerata.

CCCXXXI.

Nonnunquam abscessus extrorsum tumet, sponte vel arte aperiendus, raro sanandus, ulcere plerumque fistuloso manente. Rarissime pus sibi viam in contiguum colon parat, ambiguo eventu.

CCCXXXII.

Si scirrhum hic format, paralysis, vel claudicatio cruris suppositi oritur, immedicabile malum: unde saepe lenta tabes, hydrops: etc.

CCCXXXIII.

Si autem parva copia materiae inflammatae coagulata in folliculo urinae minimo haeserit, basin format, cui apposita sabuli in urina materies crustatim accrescens calculum renalem creat, sicque eundem auget.

CCCXXXIV.

Quin etiam aliquando in gangraenam transit, quod docet vehementia causae, (CCCXXII), symptomatum (CCCXXIII), absentia levaminis

per remedia (CCCXXV), et subita remissio doloris sine causa, cum sudore frigido, pulsu debili, intermittente, singultu, urina vel nulla, vel livida, nigra, capillosa, foetente, carunculis fuscis, nigrisve foeda, defectu virium subito, summo: ubi nihil juvat.

CCCXXXV.

Hinc patet, infinitas esse nephritidis species, causasque; et inter eas unam a calculo; tamen esse omnium ferme eandem curationem; cur in febribus toties nephritis (CCCXXI); ejusque crisis (CCCXXIV)? imo et inde ischuria vitio renum, vel ureterum orta intelligitur, sanatur.

---

## VESICAE URINARIAE INFLAMMATIO.

CCCXXXVI.

Vesica urinaria inflammata scitur ex dolore assiduo, ardente, pungente, in loco vesicae; ex febre acuta, continua, inflammatoria; urina crebro, at parce missa, stranguriosa, flammea, cum muco pendulo, mox fundum matulae petente; vomitu assumtorum, bilis vitellinae, aeruginosae.

CCCXXXVII.

Morbum producunt causae generales inflammationis, ad vesicam determinatae; item diuretica acria; acre scabiosum, rheumaticum, arthriticum, erysipelatosum, venereum; haemorrhois; calculus; vicinorum inflammatio; morbi urethrae varii, et intestini recti.

CCCXXXVIII.

Curatio, exitus ex iis, quae de inflammatione in genere, et de ea renum in specie innotuerunt, sunt repetenda, observata diversitate affectae partis.

CCCXXXIX.

Inde quoque uteri inflammati curatio petitur, morbus per se fortasse minus frequens, sed creber a partu laborioso, manu, ferramentis, absoluto; abusu emenagogorum, aristolochicorum, ecbolicorum.

---

## FEBRIS BILIOSA.

CCCXL.

Si bilis elementa, sive humor biliformis in sanguine abundat, fit plethora biliosa, polycholia dicta.

CCCXLI.

Haec vomitu; secessu; cholera; sudore largo, nidoroso; urinis biliosis, mox jumentosis, cum sedimento flavo, lateritio sponte solvitur; vel vero arte sanatur, victu, motu, medicamento emetico, purgante, diaphoretico, tonicoque.

CCCXLII.

Polycholia dicto modo non sublata, copia, consistentia, acore vario, metastasi morbos infinitos facit, et ad speciem differentes pro vitio nempe polycholiae vario, et varia affectae partis natura, functione.

CCCXLIII.

Si vero ob molem, acrimoniam, turgere, et oborta febre moveri incipiat, motaque é corpore eliminari, viis, et modis variis, febris biliosa nominatur.

Atque haec quotannis vigente aestate regnat, et inter annuas febres propemodum primas tenet, cum ab omni tempore per omnes terrarum tractus multo frequentior sit visa.

CCCXLIV.

Continuae remittentis tenorem servat, quotidianae, tertianae simplicis, aut duplicatae, cu-

jus accessiones vomitu, diarrhoea; sudore largo, nidoroso; urinis biliosis, copiosis, jumentosis, hypostaticis terminari solent.

CCCXLV.

Duo autem stadia percurrit, primum, quo morbosa materies humoribus adhuc permista inter motus febriles circulum obit, cruditatis dictum; atque alterum coctionis, dum vitae viribus humori excrementitio assimilata, sub finem exacerbationum, partitim, ad diversa colatoria appellit, evacuanda.

CCCXLVI.

Si vero materies biliformis ferme tota, die decretorio, coctione facta, praecedente exacerbatione consueta, saepe solito majori, ad ventriculum et intestina deponitur, atque sursum vel deorsum exitum molitur, turgere dicitur.

CCCXLVII.

Ad hanc praedisponunt victus pinguis, oleosus, terrestris, austerus, farinosus; vappidus, et ex facile putrescentibus; habitatio depressa, nosocomium, ergastulum, navigium; coelum multo phlogisto foetum, humidum, simulque fervidum, quod acutissimas facit, aut

humidum frigidumque; excitant vero cum multa alia, tum potissimum labor nimius ardente syrio, refrigerium aestuantis corporis, terror, ira, moeror, pudor, ingluvies, lapsus ab alto, vulnus, haemorrhagia, puerperium, febris quaecunque alia polycholiam movens.

CCCXLVIII.

Haec, si simplex fuerit, exordium sumit ab horripilatione et calore alterno, cephalalgia, et sensu caloris magni in capite; accedit dolor lumborum, et dorsi; pulsus plenus, non durus, acceleratus; oculi rubri, aut dilutissime flavi, aut cum modica flavedine subvirentes; faciei et capitis totius sudor; genarum intensa rubedo, cum flavescente, aut virescente pallore circa nares et labia; lingua flava, flavescentibus villis quasi bysso obducta; salivae insipidae, amarescentis, nauseose dulcis affluxus in fauces; labiorum siccitas; sapor vitiatus, amarus assumtorum; saliva alba, spumescens, instar soluti atque in spumas acti saponis; screatio subinde herbidi, atque aeruginosi glutinis; anorexia; ructus amari, urentes, austeri, subdulces cum nausea; vomituritiones, vomitusque variae materiae, porraceae, aeruginosae, vi-

tellinae, atrae, fauces exurentis, dentes stupefacientis, saporis acerbi, metallici; anxietas et sensus repletionis ad praecordia; inquies; aquae frigidae, acidulatae, et aurae frigidae, perflantisque desiderium; et obtentum inde cephalalgiae, calorisque temporarium levamen; sudores olentes, nidorosi; alvus intense flava, quasi ab assumto rheo, olidissima, modice fluens inter flatus olidissimos; urinae mox a principio flavae, croceae, spumosae, pingues; sanguis phlebotomia eductus aut laete ruber est, aut crustam efformat inflammatoriam intense flavam, serum viride, cum virore flavescens, amarum: minus vero frequentia symptomata sunt petechiae lenticulares, morbillosae, miliaria rubra, carbunculi, bubones etc.

CCCXLIX.

Indolem parasiticam possidet: unde facillime morbis aliis quibuscunque sociatur, quos ab ingenio suo et charactere consueto abducit, exleges reddit, et pravos, aut in suam redigit potestatem: notanda est ejus cum variolis complicatio.

CCCL.

Vix ulla febris est, quae tam diversis lu-

dat variationibus, tam differenti ratione modificetur; indolis plane protheiformis non solum diversis annis, sed eadem quoque constitutione regnante.

CCCLI.

Saepe aestatis terminos excedit, porrigiturque per serum autumnum, atque hyemem, fortasse molliorem; verno autem tempore nondum plane emortua reviviscit, ac proxima aestate denuo dominatur resumtis viribus: tum ex annua fit stationaria.

CCCLII.

Continua remittens, semitertiana aut ἡμιτριταιος, itemque τριταιφυης, continens, appellabatur, compellatione non characteristica: antiquioribus vero modo typhodes, assodes, epialas, leipyria, lingodes, febris ardens, sive causos, itemque Πυρ, sive ignis etc. dicebatur, nominibus ab excellenti quodam hujus febris symptomate desumptis, non omni tamen nec singulae febri biliosae convenientibus, atque ad alia quoque febrium genera transferri solitis: recentioribus b i l i o s a aptius nominatur.

CCCLIII.

Contingit subinde, ut humor biliformis

sub finem exacerbationis, sudoribus difflandus, in suo per vasa circuitu, in obicem impingat, atque in aliqua corporis parte adhaerescat; vel ob febrim nimiam, et humorum turgorem; vel ob partem quamdam debiliorem; aut circulanti humori imperviam; vel ob alias nobis adhucdum ignotas rationes.

CCCLIV.

Hinc decubitus biliformis humoris multiplices, variis in locis, et vario cum effectu.

CCCLV.

Inde prima biliosae febris divisio petitur, 1. in biliosam universalem, et 2. in biliosam cum metastasi sive decubitu.

CCCLVI.

Ad encephalum delata humoris biliformis portio deliria, phrenitides, apoplexias, genus omne convulsionum facit; ad oculos vero, coecitates, repentinas cataractas, ophthalmias, corneae opacitates, maculas etc.; ad fauces anginam; ad thoracem, tusses, pleuritidem, peripneumoniam, haemoptoen etc.; ad abdomen vomitus, choleras, dysenterias, colicas, diarrhoeas, conamina haemorrhoidum, mictus difficiles, haemorrhagias uteri, et abortus; ad

articulos, artusque, rheumatismum, arthritidem; ad corporis superficiem, erysepelata, miliaria rubra, herpetis et scabiei quamdam speciem, petechias, exanthema urticatum etc.

CCCLVII.

Patet ergo ex hisce, quae sit notio phrenitidis *biliosae*, pleuritidis *biliosae*, haemoptoes *biliosae*, febris erysipelatosae, urticatae non raro, itemque petechialis persaepe, aliorumque morborum, quos adposito epitheto *biliosos* jure dixeris, atque ab aliis alia de stirpe satis distinxeris: sunt enim ejusdem biliosae febris diversi solum modi.

CCCLVIII.

Alia quoque biliosa febris est *simplex*, *meraca*, *impermixta*; alia vero *complicata* cum alio quocunque morbo febrili, non febrili.

Unde nova et momentosa divisio,

CCCLIX.

Saepius cum inflammatoria febre in epidemiae biliosae exordio; cum pituitosa vero, eaque aut sola, aut adjuncta simul phlogosi, circa ejusdem epidemiae finem complicatur: cum

puerperio, morbillis, variolis praeprimis, connubium init.

CCCLX.

Terminatur, 1. in mortem, 2. sanitatem, 3. in morbos alios.

CCCLXI.

Atque in mortem quidem abit, 1. humoris biliosi metastasi ad partem nobilem, encephalum maxime, et pulmones, itemque ad cava thoracis, pericardium, ut cadaverum sectiones docuerunt; 2. erysipelate interno mox gangraenescente; 3. interaneorum anthrace; 4. degeneratione putrida, sponte nata, aut male medicando inducta.

CCCLXII.

In sanitatem vero, 1. saburra biliformi, non copiosa, benigniore; potu multo, aquoso, acidulo, saponaceo enervata. 2. copiosiori vero et acriori, exantlata vomitu, secessu, sub exacerbatione consueta sponte motis, aut arte concitatis; deinde urinis quoque et sudoribus, repurgato prius systemate gastrico: subinde vero fluxu sanguinis per nares, haemorrhoides, uterum; miliaribus, salivatione, aphthis.

CCCLXIII.

In alios morbos commutatur, scilicet in febrim bilioso-inflammatoriam, ardentem, bilioso-putridam, putridam; dum materies biliformis abundantior, acrior, sanguini penitius mista, ex eodem morosius extricanda, per congrua colatoria, obstructione, spasmo, inflammatione impervia, non eliminatur, sed retenta sanguinem aut inflammat, aut sibi assimilat, solvitque: item in febrim intermittentem, conversione bona, sub apta methodo: neglectu vero, aut mala therapeusi in chronicos languores, primae coctionis vitia multiplicia, hypochondriasin, cacochymiam et cachexiam biliosam, arthritidem diuturnam etc.

CCCLXIV.

Curatio fit in leviori morbo per acida vegetabilia, saponaceos fructuum horaeorum succos, aperientes, eccoproticos, et diaetam omnem antibiliosam; alterantia, subemetica, emetica, humorem biliformem ad varia colatoria, praeprimis hepar, atque ad primas vias determinantia; purgantia mitiora: in morbo vero majore, durante primo stadio per priora,

In secundo vero praeter priora per emetocatharsin, unam aut plures, corpore prius ad hanc evacuationem subeundam parato, et materie mobili effecta; aërem praeterea frigidiorem liberioremque, non ad thermometrum, sed ad gratam aegri sensationem examinandum; potum aquae frigidae, situm erectum, maxime in ingenti cephalalgia et accedente phrenitide.

CCCLXV.

Corpus ad emetocatharsin disponitur, 1. venae sectione, et antiphlogistica therapeusi, si aetas juvenilis, virilis, fibra rigida, plethora, tempus subphlogisticum, diaeta et medicina calefaciens accesserit; 2. affectionibus variis, vomitum aut impedientibus, aut contraindicantibus, sua methodo ablatis.

CCCLXVI.

Materiem ad exitum praeparamus potu solvente, saponaceo, salito, mellito, oxymelle etc.

CCCLXVII.

Disponi autem ad emetocatharsin praeprimis tunc debent, si praeter narratas (CCCLXV) rationes, quae venae sectionem requirunt, febris biliosa in partem quamdam nobiliorem,

metastasin fecerit, scilicet in phrenitide biliosa, haemoptoë biliosa, pleuritide biliosa, colica biliosa: facta enim phlebotomia una, aut pluribus, prout dictae (CCCLXV) rationes exegerint, et materie diluta, emetocatharticum colluviem ex systemate gastrico eliciet; viscera metastasin passa salubriter concutiet; materiemque impactam dimovebit; intra humorum circumeuntium alveum reducet; ad cutis spiracula ablegabit, sudoribus ab emesi semper moveri solitis difflandam.

CCCLXVIII.

Metastases periculosas, hac (CCCLXVII) methodo non tollendas, viis primis repurgatis, evocabit vesicans; quod tamen ipsi morbo principi eo, quod urinas et alvum parciores reddat, qua utraque evacuatione plurimum biliformis humoris educitur, de cetero non convenit.

CCCLXIX.

Febre fracta, aut multum mitigata per emeto-catharsin, aeger sensim inter blandos, levantes, nocturnos sudores, sub usu solventium, saponaceorum, eccoproticorum, acescentium convalescere incipit, morbo quatuordecim dies non excedente.

CCCLXX.

Convalescit ex toto, aut sponte; aut vero si morbo difficiliori, methodo medendi, vel et aliunde fuerit plus aequo debilitatus, usu analepticorum, stomachicorum, amaricantibus, vino absynthite, carne tenera, equitatione, rusticatione etc. alvo perstante semper faciliori.

CCCLXXI.

Convalescentia tardior, quam ex inflammatoria; citior vero, quam ex pituitosa: relapsus vero, quam in utraque hac febre, in biliosa faciliores.

CCCLXXII.

Nocent per se in hac febre, cardiaca, calefacientia, cortex peruvianus, vesicantia, opium, acida mineralia etc.

CCCLXXIII.

Cum rustici, qui aestivis ardoribus perusti copioso sudore madent, atque ita madidi persaepe incautius perfrigerantur, etsi mera propemodum vegetabili diaeta vivant, prae ceteris hac febre corripiantur; illi vero, qui victu vinosiore et carneo magis utuntur, dummodo nimio se soli subducant, aut calido sudore perfusi, non repente refrigerentur, ab eadem

ut plurimum maneant immunes, patet, quanam in re potissimum prophylaxis consistat.

CCCLXXIV.

Post vitatum sudantis corporis refrigerium repentinum, tempore bilioso, multum quoque praesidii erit ad hanc febrim arcendam in esu fructuum horaeorum acescentium, saponaceorum, eccoproticorum, atque in fuga ingluviei.

CCCLXXV.

Ex his liquet, quam ampla sit morborum biliosorum familia, quanta eorum variatio, cum aliis complicatio?

Ubi emeticum, aut purgans, aut emeto-catharticum sit indicatum, quo morbi tempore propinandum, quoties iterandum?

Cur saburra biliosa esse possit, sine febre biliosa? haecque sine illa?

Quae sit cognatio, variatio, successiva degeneratio humorum febrim biliosam, putridam, petechias, erysipelas, intermittentes, maxime tertianam et quartanam, dysenteriam, aphthas, peripneumoniam notham, asthma humorale, et convulsivum, phthisin pituitosam, tuberculosam; morbum hypochondriacum, arthritidem,

morbos spasmodicos quam plurimos, scirrhum, cancrum etc. efficientium?

---

## FEBRIS PITUITOSA.

### CCCLXXVI.

Quae laxos, vitae sedentariae addictos, obesos, seniculos, venere, studiis, vigiliis, moerore, morbo, medicamento, inedia exhaustos, victu aquoso, farinoso, pingui, austero usos, chloroticas, puerperas, pueros atrophicos, verminosos prae ceteris infestat, tempore praeprimis humido, frigidoque, et in locis depressioribus, audit febris p i t u i t o s a.

### CCCLXXVII.

Hanc autem insigniunt lassitudo, horripilationes vagae, lingua alba, mucosa; dentes et gingivae, sordidae; saliva lenta; anorexia, nausea, oppressio praecordiorum, eorundem, repletio; vertigo; tristitia involuntaria; flatus; borborygmi; febris assidua, in speciem mitis, pulsu propemodum naturali; remissiones obscurae; urinae crudae, pallidae, vix olentes, cum sedimento subinde mucoso. Tarde decurrit, in plures septimanas porrecta.

CCCLXXVIII.

Verno tempore saepe miscetur synocho imputri; in eandem abit; ex ea nascitur, temporis, medentis, aegroti vitio: autumnali vero febrim biliosam comitatur, sequitur, non raro: inde constitutionis atrabilariae, febris atrabilariae intellectus.

CCCLXXIX.

Constitutio pituitosa nonnunquam rheumatica, catarrhosa, asthmatica, anginosa, tussis convulsiva epidemica, scorbutica, apoplectica etc. appellatur, compellatione a frequentiori aut forma, aut symptomate petita.

CCCLXXX.

Eodem tempore aegritudines multae subalternae, herpes; scabies; ophthalmiae; aphthae; tusses; faucium pituita; anorexiae; vomitiones pituitosae, spontaneae, matutinae; cardialgiae; flatus, borborygmi; haemorrhois; colores pallidi, foedi; obesitas morbida; sensuum tarditas; concipiendi impotentia, concepti emissio; lienes magni; icteri; moerores; hypochondriasis, hysteria; chloroses, catameniorum anomaliae; maniae; nervorum distensiones; convulsiones universales, tetani, opis-

thotoni; choreae S. Viti; apoplexiae; podagra; hydrops, cujus curatio, uti et luis venereae, saepe est difficillima, constitutione pituitosa autumnali durante.

CCCLXXXI.

Morbum producit pituita tum primarum viarum, cum secundarum, compage solidorum debilitata.

CCCLXXXII.

Sanatur vero solis naturae viribus, vomitu spontaneo, crebro, facili; diarrhoea non valida, saepius recurrente; sudoribus dein, sponte natis; nocturnis, levantibus, in morbi decremento; miliaribus quoque, coctione praegressa; anacatharsi pituitosa; ptyalismo; intermittente quotidiana.

CCCLXXXIII.

Hinc methodum medendi docemur, quae obstructa reserat, spissa solvit, soluta evacuat, laxata firmat: remedio salino, incidente, resolvente, emetico leniori, subin, per epicrasin propinato, subemetico, alterante; purgante consimili; dein subamaris, amaris, tonicisque.

CCCLXXXIV.

Methodus calidior viscerum inflammationes, miliaria non critica, febres ardentes, perniciosas facit: nimis vero, quam oportet, antiphlogistica, lentas, nervosas; languores chronicos; articulorum morbos; hypochondriasin utramque; phthisin pituitosam; totque febres diversas, quot pravae methodi fuerint.

CCCLXXXV.

Idcirco acrioribus stimulis parcendum, principio praeprimis: atque universim hic lente festinandum.

CCCLXXXVI.

Ex hisce constat, cur haec febris in exercitatis, cute crassa, imperspirabili, rarior, sed periculosior; cur contrarium in laxis, facile sudantibus? cur in sexu sequiore subinde sit epidemica, dum viris parcit? unde l e n t a, l e n t a n e r v o s a, m i l i a r i s, e t p u e r p e r a r u m m o r b u s subinde audiat? cur loca depressa, paludosa deserat nunquam? cur tam difficilis sit hujus morbi diagnosis, et therapia? quorsum pertineat illud Baglivii: in nullo morborum genere tanta opus est patientia, exspectatione, cunctationeque ad bene ac felici-

ter medendum, quanta ad bene curandas febres mesentericas?

---

## PERIPNEUMONIA NOTHA.

CCCLXXXVII.

Huc peripneumonia notha referri debet, quae hyeme a frigore, verno tempore a calore superveniente multoties accidit, orta ex pituita lenta, in toto sanguine nata, et sensim pulmones infarciente, donec in pessimum hunc, et improviso saepe letalem, morbum eat.

CCCLXXXVIII.

Ubi paululum adolevit id malum, produxit jam in toto corpore effectus plurimos a glutinoso spontaneo oriri solitos, tumque praeterea eos, qui peripneumoniae lentae proprii (CXL), unde malum curatu difficillimum.

CCCLXXXIX.

Nam missio sanguinis, eousque celebrata, ut in hoc morbo requiritur (CLXXI), nocet admodum ob debiliora viscera, nimisque aliena humida lenta; hinc primo juvare visa, mox mala auget.

CCCXC.

Attenuantia autem adeo hic famigerata, dum impetum in vasa pulmonalia augent, densitatem impactumque obstruentis saepe augent, simulque morbum cito reddunt letalem.

CCCXCI.

Morbus ille senibus, pituitosis, frigidis, catarrhosis, gravedine laborantibus frequens, sequi solet omnes causas, quae stagnantia cito movendo in pulmones agunt, ut cursus, declamatio, cantus, ebrietas inprimis a valide calefacientibus, comessatio, calor foci, balnei, solis, maxime, si aestum hinc natum subito frigus ingens exceperit.

CCCXCII.

Primo fallaci lenitate opprimit nec opinantes: quippe levi fatigatione, debilitate, postrato omni fere animi motu, anhelitu, oppressione pectoris incipiens, adeo leves motus excitat, ut vix caloris, febrisve indicia moneant periculi: mox vagae horripilationes, leviusculi febris insultus adsunt; unde subito crescente anhelitu et debilitate mors: cujus in urina et pulsu vix ullum adfuit praesagium.

CCCXCIII.

Curatur hac methodo cautissima: 1. mittatur sanguis ex largo vulnere. 2. mox eluatur alvus clysmate, quod repetatur quotidie, donec signa docuerint levari pulmonem. 3. utatur victu tenuissimo juris carnium, inprimis cum levi acido, potu tenui ex aqua et melle. 4. vapores, suffitusque descripti (CLXXXIII), decocta diluentia, abstergentia, lenissime aperientia assiduo potanda, adhibeantur; simulque balnea crurum, pedumque, et larga vesicantia.

CCCXCIV.

Ex his omnibus ratio datur, cur pueris hic morbus, foeminisque rarior? ut et iis, qui laxae sunt structurae quoad solidorum fabricam, cur vix accidat, etsi major sit in his proclivitas in febrim simplicem pituitosam? cur in his facilius sanetur? contra in bene pastis, densisque corporibus?

Ex iisdem pariter liquet, hunc morbum fieri ex omni alio humore pituitae analogo, pituitoso - bilioso, atrabilario, arthritico, podagrico, abundante, commoto, a causis (CCCXCI) ad pulmones determinato, ibi congesto: quae

sit relatio asthmatis humoralis, phthiseos pituitosae ad huncce morbum?

---

## FEBRIS INTERMITTENS.

CCCXCV.

Febris per vices impetum ita remittens, ut plena apyrexia inter duos quosque paroxysmos intercedat, intermittens apellatur.

CCCXCVI.

Inde ejus diagnosis sponte patet: distinctio in varias classes facilis, utpote soli temporis differentiae innixa.

CCCXCVII.

Quotidiana, tertiana, quartana crebriores: quintanam quartanae cognatam, cum ea alternantem, autumni sobolem, aliquoties vidi; sextanam bis: septenaria exquisita quandoque accidit, Boerhavio visa. Sunt, qui longiores periodos observarunt.

CCCXCVIII.

Ejusdem periodi febres non raro complicantur, ut sit e. g. duplicata tertiana, quartana duplicata etc. Rarius febres junguntur periodi differentis.

CCCXCIX.

Quotidiana est rarior, pueris et glutinosis familiarior; longius excurrit; difficilius sanatur: probe distinguenda a tertiana duplicata, quartana triplicata, ex accessionibus inter sese comparatis.

Huc et Hippocratis diurna, nocturnaque.

CCCC.

Tertiana brevior, crebrior, acuta magis curatu facilior: biliosos, adultos infestat: dupplicatur non raro: 5to, 7mo, 9no circuitu judicatur.

CCCCI.

Quartana diuturna, pertinax, diu fertur; atrae bilis, et autumni progenies: dupplicatur, triplicatur.

CCCCII.

Quae longiores circuitus habent, morem quartanarum sequuntur.

CCCCIII.

Tamen scire est, intermittentem in genere esse vernalem, quae a Februario in Augustum; et autumnalem, quae ab Augusto in Februarium dominatur; distinctione necessaria,

ob diversam corporum vere et autumno diathesin, diversos morbos corregentes; hinc varios mores, symptomata, exitus, durationem, curationemque febris: quin una aliam fugat.

CCCCIV.

Vernalis, ut plurimum, brevior, subinflammatoria, synocho imputri affinis, regularis, sponte, aut modico apparatu sanatur, recta abiens in sanitatem; medicatrix subinde inveteratorum malorum, melancholiae, maniae, epilepsiae, arthritidis, paralyseos: reliquias autumnalium tollit: augmentum corporis facit: ad longaevitatem disponit.

CCCCV.

Autumnalis plerumque longa, remittens, subintrans, biliosa, atrabilaria, septica, anomala, pernicioso symptomate stipata: saepe desinit in lienes magnos, reliquorum viscerum, maxime hepatis, infarctus, scirrhos, icteros, hydropes, leucophlegmatiam, scorbutum, cachexiam et cacochymiam multiplicem, et quae hinc sequuntur mala.

CCCCVI.

Quin et saepe aemulatur exacte indolem continuarum, ob longiores et duplicatos pa-

roxysmos, dum tamen indoles et curatio plane diversae sunt.

CCCCVII.

Est tamen subinde inversa ratio vernalium et autumnalium.

CCCCVIII.

Subinde solitaria febris comparet, sporadica dicta; non raro per populum grassatur, popularis, dum Austri molles, diu spirantes, mador multus, frigidusque vim addunt morbo.

CCCCIX.

Pone stagna, et in depressis perpetuam sedem fixit endemica, sola subin mutatione coeli sananda.

CCCCX.

Paroxysmus legitimus intermittentis frigore, aestu, sudore absolvitur, tria stadia percurrens.

CCCCXI.

Atque is eadem exacte hora redit, vel maturius, vel vero serius, aut tempore incerto. Hinc febris consistentis, anticipantis, postponentis, vagae erraticaeque notio.

CCCCXII.

Vel vero sub larva alterius morbi delitescit, quem tempore legitimae accessionis aemulatur, larvata; eaque frequentius est autumnalis, popularis.

CCCCXIII.

Hinc febris intermittens sub schemate cephalalgiae, delirii, comatis, apoplexiae, catalepseos, epilepsiae, et convulsionis variae, hemicraniae, amauroseos, ophthalmiae, coryzae, odontalgiae, rheumatis, arthritidis, vomitus, diarrhoeae, cholerae, colicae etc., vix ullus morbus est, quem non aliquando intermittens ludat.

CCCCXIV.

Subinde syncopen brevi letalem refert, veramque imaginem morientis: syncopalem, malignam, mortualem appellant.

CCCCXV.

Larvata subinde tria consueta stadia simul absolvit: nonnunquam alterius morbi formam solum exhibet.

CCCCXVI.

Manifesta in larvatam, haecque in illam abit.

CCCCXVII.

Incipit autem regularis et manifesta cum oscitatione; pandiculatione; lassitudine; debilitate; frigore, horrore, rigore, tremore; pallore, livore extremorum; respiratione difficillima; anxietate; nausea, vomitu; pulsu citato, subinde tardiore, debili, parvo; siti maxima; cute anserina, subinde veluti miliaribus pustulis obsita, livescente, purpurascente: in infantibus saepe clamor et convulsio cum extremorum livore.

Haec prout majora, pluraque simul, eo febris pejor, atque in subsequente tempore calor, et cetera symptomata pejora: et hic gradus febris primus, incremento respondens continuarum, et reliquorum maxime periculosus; urina tum ut plurimum est cruda, et tenuis.

Incisa cadavera mortuorum in primo hoc stadio febris intermittentis, post anhelitus, suspiria, ignaviam, monstrarunt sanguinem crassum, impactum pulmonibus: semper tum fuerant pulsus parvi, frequentes, inordinati. Harv. exercit. anat. cap. 16.

CCCCXVIII.

Hunc statum (CCCCXVII) excipit alter, in-

cipiens cum calore, rubore, respiratione forti, magna, liberiore, anxietate minori, pulsu majori, robustiorique, siti magna, dolore artuum et capitis magno, urina plerumque rubra: respondet ακμη febrium continuarum.

CCCCXIX.

Tum ultimo ingens plerumque sudor; remissio omnium symptomatum; urina crassa, sedimentum lateri contuso simile; olidi, fluentesque secessus; somnus; απυρεξια; lassitudo; debilitas.

CCCCXX.

Nisi forte paroxysmus ita protrahatur, ut nova accessio priorem nondum finitam excipiat: continua remittens, subintrans erit.

Id fit ob genium epidemiae; febrim aliam corregentem, complicatam; intermittentis vim nimiam; medelam neglectam, perversam; aegri diathesin ferendae febri non parem.

CCCCXXI.

Subinde febris non omnia haec tria stadia percurrit, uno alterove deficiente; aut ordinem eorundem permutat.

CCCCXXII.

Nonnunquam est imperfecta, obscura, le-

vicula, absque ordine certo recurrens invasio.

CCCCXXIII.

Haec vero intermittens non formata, latens, vaga, erraticaque in pueris frequentior, infarctu viscerum abdominalium glutinoso, verminoso laborantibus, ventricosis, voracibus; autumno.

Regularis quoque et aperta in imperfectam vagamque commutatur, regimine pravo; methodo mala; neglectu; cortice peruviano aequo maturius, parcius, neque diu, et absque coindicatis, propinato; adstringentibus inepte datis.

CCCCXXIV.

Non formatam, latentem, erraticam produnt, cognitio causarum (CCCCXXIII); item leviculi per vices paroxysmi, pandiculationes, lassitudines, sudoresque, maxime nocturni, nidorosi, foetentes, moschum redolentes; faciei pallor virescens, flavescens; anorexia, vel etiam bulimos cum bradypepsia; praecordiorum tumor, tensio, calor; anxietas; maxime a pastu; urinae parcae, croceae, jumentosae, lateritiae, furfuraceae; aspectus tris-

tis; oculorum diluta flavedo; morositas; alvus irregularis, olidissima; atque omnia ferme symptomata systematis gastrici laesi, repleti, infarcti: aegro interim erecto, obambulante.

CCCCXXV.

Explicata (CCCCXVII ad CCCCXIX) stadiorum ratio; vis morbi ad ακμην venientis, atque iterum decrescentis intra paucas horas; epidemia cognita; eorundem symptomatum periodus stata; in infantibus livor, horror, vagitus, convulsio, determinatis horis recurrens, intermittentis primo suspicionem, continuata vero diagnosin suppeditant.

CCCCXXVI.

Saepe abeunt in acutas, periculosas; quod calori nimio, et motui excitato nimis, aut epidemiae genio, aut pravae medelae, ut plurimum debetur.

CCCCXXVII.

Intermittentis effecta (CCCCXIII ad CCCCXXIV) intelliguntur, illius actionem consideranti: fibris enim minimis vasculorum et viscerum magnam infert vim, stagnando, obstruendo, coagulando, pellendo, resolvendo, attenuando; hinc debilitantur vasa, morbosa fiunt liquida,

eo inprimis genere mali, quo partes minus assimilatas, nec aequaliter mistas habent; ex quibus simul acrimonia exoritur; unde ab omnibus simul facillima in sudorem proclivitas multum debilitans, ipso viscido sanguinis transsudante; tum urina mire crassa, turbida, jumentosa, pinguis; similis saliva; inde debilis, solutus, vix cohaerens cruor, optima parte spoliatus, residua acer et crassus simul.

CCCCXXVIII.

Causa praedisponens ignoratur; tamen ad nervos peculiarius attinere videtur, inexplicabili ratione affectos.

Remédia antifebrilia nervina, cortex peruvianus, Mars, opium; item terror, ira, gaudium, contentio animi, musica, confidentia in remedium antifebrile, vanum in se, efficax tamen in credulis; ipsius febris symptomata quaedam, causae, effecta, id verosimile reddunt.

Difficillimum tamen est, ex infinitis possibilibus eam causam distinguere, qua posita ratio periodorum dari ex legibus oeconomiae nostrae possit.

CCCCXXIX.

Hanc vero praedisponentem innume-

rae aliae excitant: alimenta, nimia, dyspepta, farinosa, pinguia, putrida, relaxantia stomachum et intestina, atmosphaera humida; commoratio in loco depresso, a sole averso, umbroso, silvestri, palustri; colluvies biliosa, atrabilaria, pituitosa, verminosa; humores tenaces, ichorosi, purulenti, scorbutici, scabiosi, venerei; fluxus sanguinei suppressi; turbatum systema hepaticum ira, terrore, pudore, moerore; excretio cutanea suppressa, atque alia quam plurima:

An etiam contagium peculiare?

CCCCXXX.

Cura alia in ipsa accessione locum habet; alia vero extra eandem.

CCCCXXXI.

In stadio frigoris dandus potus leniter diaphoreticus, tepidus, parce frequenterque sumendus: hoc modo, calore insuper lecti, abstinentia a cibo aliquot ante invasionem horis molestus in accessione vomitus praepeditur.

Orto calore, quies, stragula leviora lecti, aqua succo limoniorum acidulata, et, si is exorbitet, in plethorico, ad apoplexiam calidam proclivi, ipsa sanguinis missio, caute instituenda.

Sudor inchoatus blande promovendus, lecto, potu tepido, sambucino, sero lactis vinoso; non vi urgendus: a sudore quies, somnus, refectio.

CCCCXXXII.

Finito paroxysmo, 1. curanda febris est; dein 2. ipsius febris, validioris, diuturnioris, perverse curatae, malignae effectus, qui saepe proprios, graves, longosque morbos constituunt.

CCCCXXXIII.

Est autem omnium primo procatarctica causa auferenda, si ea nota sit, si magna, et remediorum potestati subjecta: dein vero proëgumena; nisi illa ablata, haec quoque simul tollatur.

CCCCXXXIV.

Methodi medendi variae, et infinita ferme remedia adversus febrim, ad paucas classes revocari possunt: est enim omnis methodus antifebrilis antiphlogistica, resolvens, sursum evacuans, cathartica, praevertens, confundens, nervina.

CCCCXXXV.

Quarum primae quatuor in tollendis cau-

sis excitantibus occupantur; tres vero posteriores in auferenda proëgumena.

CCCCXXXVI.

Saepe diversae methodi in eadem intermittente, diversis temporibus; vel vero plures junctim sunt necessariae, ut methodus octava sit, ex prioribus diversimode composita.

CCCCXXXVII.

Methodum antiphlogisticam petunt intermittentes vernae, plethoricorum, athleticorum, et ubi summa sanitas febrim facit; inflammatorum, ad apoplexiam proclivium; subperipneumonicorum, subpleuriticorum, haemoptoicorum; in febre ob genium epidemiae facillime degenerante in continuam inflammatoriam; paroxysmis productis, apyrexia imperfecta; cephalalgia ingenti et inflammatoria; delirio gravi, furioso.

CCCCXXXVIII.

Tum vero conveniunt salia media mitiora, in largo vehiculo aquoso sumta, eccoprotica, et ipsa subinde venae sectio.

CCCCXXXIX.

Methodus solvens, resolvens, aperiens,

et febrim ipsam, ejusdem effectus sanat, spissos humores attenuando, solida inertia excitando, obstructa reserando, secretiones et excretiones restituendo.

CCCCXL.

Sunt autem remedia hoc scopo celebrata salia, alcalina, acida, media, volatilia, semivolatilia cum conveniente vehiculo propinata, vel in humoribus gastricis soluta; sapones vegetabiles, animales, artificiales; succi ferulacei; plantae amarae, subamarae, lactescentes, earum extracta, decocta saturata, salibus armata; martialia; antimonialia; mercurialia.

CCCCXLI.

Prosunt in aegris cachecticis, cacochymicis; in frigido lentore, bile inerti, mucosa, vappida; aetate florem superante; corpore obeso; sexu sequiore; constitutione autumnali, humida, frigida; in febre longa, quotidiana, quartana, recidivante, puerorum, ex continua in periodicam mutata, pertinaci, ad corticem peruvianum rebelli, cum ictero, hydrope.

CCCCXLII.

Nocent in febribus (CCCCXXXVII); item in aquosa humorum tenuitate, juncta solidorum

laxitati; sudoribus profusis, emaciantibus, nocturnis.

CCCCXLIII.

Ceterum haec ipsa methodus reliquis multo latius patet, intermittentium plerisque, saltem initio, sola, aut cum aliis junctim, aptanda.

CCCCXLIV.

Methodum emeticam postulat saburra sursum turgens, seu causa, sive effectus intermittentis, vel solum cum illa coincidens. Ea autem cognoscitur ex victu, morbis, symptomatibusque praegressis, nausea, vomitu, ructu, tumore, halitu, sordibus linguae, gutturis, palati, ανορεξια, amarore oris, vertigine tenebricosa. Utut et aliae vires sint emeticorum, sialagogae, diaphoreticae, catharticae, diureticae, nervinae, alterantes, potenter resolventes.

CCCCXLV.

Propinandum emeticum vel accessione finita, et absoluto sudoris stadio, vel ante paroxysmum eo spatio, quo ante hunc effectum praestat. Absoluta operatione dato opiato sedatus ante febrim tumultus sit.

CCCCXLVI.

Materie deorsum turgente purgans dandum, cito operans, solvens salinum, mox a paroxysmo.

CCCCXLVII.

Imminentem paroxysmum praevertunt 1. ea omnia, quae sudorem movent, materiem febrilem ante consuetum tempus accessionis artificiali paroxysmo eliminando. 2. quae animum valide afficiunt, systema nerveum, in cujus peculiari diathesi proëgumena febrium causa sita esse videtur, vehementer immutando.

CCCCXLVIII.

Sudor autem hunc in finem movetur, dum aliquot horis ante tempus cognitum futuri paroxysmi, liquido aperiente, diluente, leviter narcotico, repletur corpus aegri, dein una hora ante malum excitatur sudor, et continuatur, donec binae ultra tempus initii paroxysmi elapsae sint horae. Item opiato; alterante; emetico; balneo; stragulis; cursu, saltu, lucta; sinapismis, vesicante, et epithemate vario, inunctione spinae dorsi.

CCCCXLIX.

Aliam vero nervis diathesin, febri oppo-

sitam, inducunt animi pathemata varia, terror, ira, attentio magna; praefidentia etc.

Hinc febrium quaedam curationes explicantur, concentu musico, amuletis, et vanis superstitionibus factae.

CCCCL.

Prodest haec methodus praevertens, prudenter instituta, in perfecte intermittentibus, diutius durantibus, maxime quartanis; aliis methodis jam adhibitis, et incassum; viis primis puris, aut repurgatis; absente viscerum infarctu lento, phlogisticoque; absente cacochymia, cachexia.

CCCCLI.

Ea ipsa remedia, quae imminentem paroxysmum praevertunt, eundem quoque jam praesentem confundunt, invertunt, elidunt; si ita adhibeantur, ut eorum actio cum stadio frigoris concurrat. Sub iisdem conditionibus methodus confundens admittitur, ac prior praevertens.

CCCCLII.

Methodus nervina, causae proëgumenae potissimum dicata, nervinis utitur, adstrin-

gentibus, roborantibus, narcoticis, cortice peruviano.

CCCCLIII.

Hinc si febris autumnalis, vehemens; corpus ex aegritudine debile; aquosa humorum tenuitas, solidorum laxitas, et sudor colliquans; symptoma periculosum; metus gravioris mali a febre perstante; obstructiones solventibus auctae potius; morbus jam aliquo tempore duravit; et causa excitante ablata, nihilominus paroxysmus quasi per consuetudinem recurrat; neque signa adsint internae inflammationis, neque collecti alicubi puris, neque obstructi admodum hujus illiusve visceris, neque colluviei gastricae; methodis solvente et evacuante praemissis, adstringentibus, roborantibus, praecipue vero cortice peruviano, specifico antifebrili, abigetur, pulveris, infusi, extracti, decocti, syrupi, epithematis, enematis forma, cum propriis additis requisitis, salibus, rheo, martialibus, opiatis, resolventibus, diureticis etc. tempore ἀπυρεξίας, debito ordine, dosi, regimine, adhibito, diu continuato.

CCCCLIV.

Quin et opium huc pertinet in intermit-

tente maligna, syncopali, mortuali commendatum.

CCCCLV.

Praeprimis cortex diu continuandus diminuta dosi, charactere febrili alte impresso ob febris diuturnitatem, crebros relapsus, in febre endemica, constitutione intermittentium adhuc durante; in infantibus, pueris, foeminis.

CCCCLVI.

Haec vero non danda febre adhuc cruda; incipiente; miti; medicatrice; remittente ob phlogosin, vel saburram; visceribus obstructis.

CCCCLVII.

Praemature enim data ex intermittente remittentem, continuam, biliosam, ardentem faciunt; viscerum infarctus, hydropes, icteros, arthritides, hypochondriasin inducunt, multaque alia mala, nova solum et prudenter directa febre sananda.

CCCCLVIII.

Sub usu corticis peruviani alvus sit facilis; praecordia libera, indolentia; sapor bonus; spiratio bona: excitantes causae, maxime ingluvies, vitandae: uberius perspirare convalescentibus confert.

CCCCLIX.

In genere notandum: magnitudini et diuturnitati horroris accessio tota est, et ipsa febris, commensurata.

CCCCLX.

Quo diuturnior febris, eo major in relapsum proclivitas, eo cura confirmatoria diutius protrahenda.

CCCCLXI.

Quo plures relapsus, eo major attentio habenda, ne aut infarctus viscerum abdominalium nascantur, aut nati jam, latentesque fomitem febrilem alant.

CCCCLXII.

Quartanae definita hora exacte recurrentes, paroxysmo tamen breviore, sunt quam maxime diuturnae et rebelles.

CCCCLXIII.

Stadium frigoris protractum cum valido horrore, maxime senibus, periculosum, apoplecticum: hoc si effugerint, idem metus in calore.

CCCCLXIV.

Ubi unum alterumve stadium deficit, ibi febris pertinacior, et facilis in irregularem,

remittentem, continuam mutatio: si invasio non terminetur sudore, aut eo solum modicissimo, continuae metus est, aut remittentis, judicatu difficilis.

CCCCLXV.

In febre larvata periculosa, duplex curatio locum habet: in paroxysmo cura symptomati periculoso accomodata, et extra eundem ipsa febris curanda est ex regulis hucusque datis. Hinc in febre larvata apoplectica, stante paroxysmo, antapoplectica; in syncopali, mortuali, sub ipsa invasione, cardiaca stimulantia.

CCCCLXVI.

Porro symptomati urgenti cuicunque occurrendum est juxta regulas in methodo generali, symptomatica (DXCV ad DCCLXVIII) tradendas.

CCCCLXVII.

Ex his constabit, quandonam cortex peruvianus rebelles febres non sanet, saturato dein graminis, taraxaci, cichorei decocto, adjecto sale medio, profligandas?

Quis sit abusus purgantium, emeticorum in intermittentium sanatione, itemque purgan-

tis post corticem peruvianum exhibiti? an, et quando purgandum febre per corticem suppressa? unde recidivae post usum corticis, unde post eundem continuae?

An, et quando cortex in obstructionibus viscerum abdominalium?

Quo jure antiquitas quotidianam pituitae, tertianam bili, quartanam humori atrabilario tribuerit?

Quaenam intermittens soli Mercurio obediat? Cur praestet, jejuno stomacho paroxysmum excipere, et decumbentem in lecto? Cur a gravissima accessione solutio febris non raro?

Quomodo dignosci apoplexia periodica a vera possit? scilicet, si epidemia sit febrium, maxime larvatarum; aeger ad apoplexiam alias non praedispositus, et ea post 8, 12 horas sponte solvatur; tria intermittentium stadia simul adsint; si intermittentium fuerint prodromi; urina sub finem accessionis intense flava, mox jumentosa, demum lateritia.

Quando in ipsa invasione apoplexiae periodicae venae sectio, quando non?

Quinam morbi curentur intermittentis ac-

cessu, quinam inde graviores fiant, aut perstent non mutati?

Disquirendum restat, num post certum annorum curriculum intermittentes epidemicae redeant juxta legem quamdam in natura stabilem?

---

## FEBRES CONTINUAE REMITTENTES.

### CCCCLXVIII.

Continuarum febrium notitia praemissa, earum praecipue, quae tanquam principes aut cardinales habentur, et dato intermittentium intellectu, facilis erit continuarum remittentium explicatus.

### CCCCLXIX.

Dicitur autem continua remittens adesse, ubi febris assiduo aegrum tenet, ita tamen, ut per intervalla manifeste et remittat, et intendatur.

### CCCCLXX.

Quae quidem exacerbatio quotidie, vel omni alterno, vel tertio die recurrit, instar paroxysmi completi aut incompleti intermittentis febris.

CCCCLXXI.

Continua remittens consideranda tanquam composita ex duabus febribus: in has velut in duo elementa est dispescenda, continuam et intermittentem; quarum utraque in eodem homine, eodem tempore, ab eadem vel differentibus causis, epidemiae genio, methodo medendi producta remittentem facit.

CCCCLXXII.

Cum continua plane multiplex sciatur e superioribus, et varia quoque sit intermittens, diversae plane ex diverso connubio remittentes erunt, natura, curatione, discrimine; licet habitu externo non differentes.

CCCCLXXIII.

Sic intermittens cum synocho imputri, inflammatione quacunque, febre biliosa, putrida, maligna jungi solet: cujus cum primis duabus compositio benignas dat; cum posterioribus vero τριταιφυεις, ἡμιτριταιους, graves, malignas, perniciosas.

CCCCLXXIV.

Remittentium ergo cognitio, curatio, prognosis tota repetenda ex supra dictis de febribus simplicibus, in quas illae resolvendae.

CCCCLXXV.

Hinc nomini solum remittentis febris inhaerens, medicinam faciet instabili fundamento nixam.

CCCCLXXVI.

Ergo in cura remittentium determinanda est, 1. febris continua: indicationes capiendae, juxta hucusque tradita, atque in maxima remissione: demum 2. in intermittentem indagandum: 3. utriusque indicationes conjungendae: nisi altera alteram evertat.

CCCCLXXVII.

Ubi potior habenda ratio continuae, ob decursum celerem et periculum majus.

Nisi ipsa intermittens ad perniciosas pertineat, urgeatque.

CCCCLXXVIII.

Ex his liquet, non unam esse eandemque medendi methodum in remittentibus.

Quando illico cortex peruvianus sit propinandus, quando is noceat, ex remittente continuam, gravem, ardentem faciat?

Quando venae sectio, quando evacuantia, et quae, et qualia in remittentium curatione?

Cur febris lactea, purulenta, ve-

nerea, rheumatica, arthritica, utut exacerbationes luculentas et regulares saepe habeant, huc non pertineant?

---

## FEBRIS ARDENS, SEU καυσος.

CCCCLXXIX.

Si causa excitans febris biliosae supra descriptae fuerit gravior; diutius adplicata; polycholia mole major, mora, indole acrior, praeter symptomata (CCCXLVIII) produxerit inflammationem universalem, vel etiam topicam quamcunque, acutissimam tamen, erit febris ardens, quae inter continuas remittentes meretur singulatim discuti ob frequentiam, discrimen, sanandi laborem.

CCCCLXXX.

Ea ergo consideranda, velut ex pluribus febribus conflata, biliosa nempe, et inflammatoria, utraque solito validiore, acutiore: queis juncta tertiana, stadio frigoris deficiente.

CCCCLXXXI.

Hujus symptomata primaria, calor ad tactum fere urens, inaequalis diversis locis, ad

vitalia ardentissimus (in extremis saepe remissior, imo aliquando frigus), ipsum aërem exspiratum incendens; siccitas in cute tota, naribus, ore, lingua; respiratio densa, anhelosa, cita; lingua sicca, flava, nigra, exusta, aspera; sitis inexplebilis, saepe subito sublata; fastidia cibi, nausea, vomitus; anxietas, inquietudo; lassitudo summa; tussicula; vox clangosa; delirium, phrenitis, pervigilium, coma, convulsio; diebus imparibus exacerbationes.

CCCCLXXXII.

Causa labor nimius, iter longum, aestus solis, sitis diu tolerata, usus calefacientium, fermentatorum, aromaticorum acrium, veneris nimiae, delassatio immodica, maxime aestate etc.

CCCCLXXXIII.

Decursus talis, tertio et quarto die saepe letalis, septimum raro transit si perfecta; solvitur saepe haemorrhagia, quae si tertio vel quarto die parca, letalis; haec praenunciatur cervicis dolore, temporum gravitate, tenebricosa caligine, praecordiorum contentione sine doloris sensu, invitis lachrymis sine letali signo alio, rubore faciei, pruritu narium, opti-

ma fit die decretorio; solvitur et die decretorio, vomitu, alvo, sudore, urina, sputo crasso.

Accessio die pari pessima, si id ante diem sextum; urina nigra, pauca, tenuis huic letalis; letale sanguinis sputum; letalis sanguinis mictus; deglutitio laesa mala; extremorum refrigeratio pessima; facies rubra et sudans mala; parotis non suppurans exitialis; alvus nimis fluxa letalis.

Cum tremore abit in delirium, inde in mortem.

Transit in peripneumoniam saepe cum delirio; post ingentia alvi tormina quae oritur, pessima.

Solvitur critice cum rigore.

## CCCCLXXXIV.

Quibus explanatis haud difficulter morbus praesens cognoscitur: neque de ejus causa propiori, et proxima ambigetur: est enim a cruore orbato parte blandiore, liquidiore; polycholia abundantiore, summopere acrefacta contaminato: inflammatione per universum corpus; viribus validioribus. Quin praesagia haud infirma hinc deducentur.

CCCCLXXXV.

Curatio exigit aërem purum, frigidum, renovatum saepius; integumenta minime suffocantia, vel aggravantia corpus; situm corporis erectum saepe; potus copiosos, blandos, demulcentes, subacidos, aqueos, calidos; cibos leves, farinaceos, hordeatos, avenaceos, ex fructibus subacidis confectos; venae sectionem, si morbi initium, plethorae indicia, inflammationis singularis signa, calor intolerabilis, rarefactio nimia, revulsio necessaria, symptomata urgentia, neque alio remedio facile superanda, hanc exigunt; clysmatum blandorum, diluentium, laxantium, antiphlogisticorum, refrigerantium applicationem repetendam, prout vis ardoris, siccitas alvi, revulsio requisita imperat; humectationem totius corporis, hauriendo aërem fumo calidae blandum per nares, colluendo os, et guttur, lavando pedes, manusque tepida, fovendo spongiis calidis loca, ubi plurima vasa contactui magis exposita; medicamenta aquosa, blanda, nitrosa, grato acore sapida, alvum lenissime laxantia, urinae materiem suppeditantia, supplentia, sudori vehiculum copia praebentia, non acrimonia, om-

nem contractionem fibrarum, crassitiem liquorum, acrimoniam eorundem solventia, diluentia, temperantia.

CCCCLXXXVI.

Quibus qui adjunxerit dicenda in regulis universalibus de cura acutarum, harumque symptomatum, et secutura de acutis in perniciem viscerum singularium tendentibus, liquido perspecta habebit ardentis febris cujuslibet remedia.

---

## FEBRIS PUTRIDA.

CCCCLXXXVII.

Synochus putris dicta fuit, quae debetur causis febrium aliarum quarumcunque majoribus, diutius applicatis; solidorum, fluidorumque degenerationi majori, universaliori, celeriori, putredinem referenti, saepe prorsus singulari. Cognoscitur ex decursu mox describendo.

CCCCLXXXVIII.

Praecedunt temulentia capitis, longo antea tempore; anorexia; os insipidum, amarum, maxime mane; sensus repletionis etiam

ante pastum; frontis calor praeternaturalis, cum obtuso ejusdem dolore; levamen ab alvo mota, aëre recenti perflato; dolores vagi artuum; frigus fere assiduum; sudatiunculae noctnrnae, nidorosae; somni turbati, non reficientes; lassitudo spontanea, gravitas totius corporis; urinae, alvus magis olidae; morositas: febre hucusque nondum manifesta.

CCCCLXXXIX.

Coortus intensior calor, aut horror validior, auctis ceteris, praesentem febrim docent, continuam, aut remittentem, ad speciem subinde mitem, pulsn debili, simulque accelerato, vel vero naturali, functionibus tamen reliquis multum laesis.

Dolores rheumatici, colici, veluti pleuritici, validi, artuum, vagi.

Dedolatio insignior; cephalalgia mitior, quam aliis in febribus, sed major temulentia stupor, delirium mite, nocturnum; auditus gravis; responsio tarda; coma.

Oculi rubicundi, subflavi, subvirentes lachrymosi, lemosi, pulverulenti, distorti cum maximo vitae periculo, albuginea prospectante

Sanguis phlebotomia forte emissus disso-

lutus, intense ruber, nigrescens; crusta viridi, mucosa, plumbea tectus.

Facies tristis, flavescens, terrea, velut attoniti, profunde meditantis; mussitatio.

Nares siccae, fuliginosae; sicca labia, dentes sordidi, sordidaequae gingivae fusco glutine; lingua fusco, flavo, viridi, muco obducta, praerubra humida, praerubra sicca, arida, crustosa, fuliginosa, lignea, fissa, contracta, tremula, porrigi impotens.

Anorexia maxima, sitis aut nulla, febre licet magna, aut insatiabilis; cardiogmos; alvus olidissima; urinae flavae, ictericae, bruneae, atrae, cum sedimento sanguineo, obsolete rubro; aut naturales: foetens halitus, et fere cadaverosus.

Calor ad attactum mordax; cutis sicca, arida, imperspirabilis, variegata petechiis varie rubris, bruneis, flavis, cinereis, lenticularibus, morbilliformibus; maculae lividae, nigrescentes; vibices purpurascentes, livescentes; miliaria alba, rubra; aphthae; parotides, bubones, anthraces; color corporis icterodes.

Tendinum subsultus, artuum apprehensorum contractio; decubitus supinus, neglectus,

corpore ad pedes delabente; os apertum cum aphonia, aut grunitu, deglutitione difficili, sonora, suffocante.

Diarrhoea assidua, aegro inscio, verminosa, foetidissima, cadaverosa; floccorum venatus.

Haemorrhagiae variae, narium, pulmonum, intestinorum, gingivarum, oculorum, cutis, systematis uropoëtici, ulcerum antiquorum, uteri etc., internae quoque, sanguine intra cava diversa effuso, tenui, soluto; vermes ore prodeuntes.

Locorum cubando pressorum ad coccygem, trochanteres, cubitos gangraenescentia facilis, cita, late serpens; meteorismus.

Sudores viscidi, guttatim, pingues, frigidi extremis frigidissimis, pulsu antea tenuissimo, nunc nullo, postquam in aliquibus ad paucas horas mens iterum rediit, moriuntur.

## CCCCXC.

Vis vitae languidior, symptomatum (CCCCLXXXVIII, CCCCLXXXIX) dictorum gravitati, multitudini, ferociae non commensurata; peragendae coctioni per se impar; pulsu cordis et arteriarum aestimanda, synochi putris

genuinae formatae character est constantior, veriorque.

Ingens, mox in principio praesens, vitalium prostratio, malignitas audit (DCLXX).

CCCCXCI.

Inde diversi putridarum gradus, variaque ad easdem approximatio, cum aliis complicatio, successio, variam plane medendi methodum, et summam in medente attentionem requirunt.

Frequentissima est (CCCLXIII), descripta.

CCCCXCII.

Causam suppeditat, quidquid vim vitae dejicit, humores depravat, solida exsolvit: aër humidus, calidusque; conclusus, iners, navigii, ergastuli, nosocomii, cryptae, tugurii, castrorum, urbis obsessae, stagnorum etc. effluviis animalium, vegetabilium, potissimum putrescentium, contaminatus: aestas praefocans, et malacia in solo depresso: Austri molles, humidique, vel et frigidus mador: inedia, victusque pravus ex putridis, facile putrescibilibus, vappidis, indigestibilibus; sitis, laborque diu toleratus ardente syrio: animi pathemata gravia, tristia, diuturna: venus immo-

derata; studia severiora, nocturna: febris quaecunque alia neglecta, male curata in praedisposito, ejusque inde in putridam conversio: abusus aromatum, spirituosorum, salium quorumque, maxime tamen, volatilium, alcalinorum, mercurialium, absorbentium, evacuantium quorumcunque: pus conclusum, resorptum; ichor; in hydropicis aquarum putrilago etc.

CCCCXCIII.

Terminatur, 1. in salutem, vi vitae aucta, evacuatione gastrica, spontanea, artificiali; sudore; exanthemate miliari; aphthis; salivatione; urinis, tempore, modo, levamine, criticis.

2. in morbos alios, metastasi varia, inflammatoria, purulenta, erysipelatosa, serosa, gangraenosa ad loca externa, praeprimis parotides, glandulas submaxillares, subaxillares, inguina, testes, coxam, internave varia, vario eventu. Inde et morbi encephali subitanei, subito perniciosi; peripneumoniae consimiles; cophoses temporariae, perpetuae; amauroses; siderationes artuum; languores chronici etc.

3. in mortem, *a*) gangraena partiali, uni-

versali; inde foetor subinde vere cadaverosus triduo jam ante mortem, meteorismus, partium vel leviter pressarum purpurascens rubor, livor, anthrax. *b)* inflammatione interaneorum latente, magna, maligna, cito septica. *c)* depositione serosa ad caput, thecam vertebrarum, thoracem, quae jamjam futura, aut praesens agnoscitur respiratione difficili, brevique; pulsu vibrante, celerrimo; oculis fixis, obliqua tuentibus; alvo interim et urinis suppressis, cute sicca: inde mors convulsiva, apoplectica.

CCCCXCIV.

Indicatio petenda, 1. ex infra (DXCV ad DCCLXVIII) dicendis. 2. ex notitia morbi, qui in putridam febrim degeneravit, et 3. modi, quo id contigit.

CCCCXCV.

Huic satisfit removendo causas (CCCCXCII) excitandae, sustentandae febri pares; aegrum reponendo in loco elato, conclavi magno, stragulis mundis, aëre sicco, flamma ex lignis aromaticis, aceti vaporibus lustrato, ventilato, dephlogisticato; victu antifebrili, attamen cardiaco; remediis resolventibus, antisepticis, excitantibus, varia intensione stimulantibus, ner-

vinis, tonicis, virium ruinae, humorum degenerationi, solidorum debilitati accomodatis.

CCCCXCVI.

Hinc purgatis, si opus, primis viis cortex peruvianus dandus, forma pulveris, decocti, extracti, infusi, enematis, epithematis, solus, aut cum coindicatis, in putridis longis, foeminarum, virorum debilium, aestate humidiore, simulque calidiore; in laxa solidorum, fluidorumque compage; post evacuationes quascunque, gastricas, sanguineas, cutaneas, nimias; in virium defectu, crises tardante; pulsu molli, debili; calore non magno; synocho putri remittente; aut etiam continua facta ex remittente, intermittente; constitutione intermittentium febrium corregente; instante gangraena.

CCCCXCVII.

Nocet vero in febris exordio, constitutione uda, frigidaque simul; praesente saburra; plethora, inflammatione; calore acri, urente; respiratione gravi; meteorismo.

CCCCXCVIII.

Flores arnicae in infuso, decocto, extracto, dosi larga, aperientes, resolventes, excitantes,

subemetici in irritabilitatis defectu; hinc in sensuum externorum, internorumque torpore, tarditate, anaesthesia; urinis, calore, pulsu naturalibus.

Huc epispastica, rubefacientia, vesicantia spectant.

CCCCXCIX.

Quae ultima stimulo dolorifico virium vitalium inertiam excutiunt; obstructa potenter resolvunt; diaphoresin movent; urinas primo augent, dein vero minuunt, cum tenesmo ad matulam, alvum fluentem cohibent; pulsus efficiunt contractos, parvos, obscuros; largius applicata tubum intestinalem, et systema uropoëticum inflammant.

D.

Hinc nocent vi vitae auctiore; alvo sicca, difficili; urinis parcis; stasi inflammatoria imminente, praesente, in encephalo, thorace, abdomine; turgente saburra.

DI.

Radix arnicae forma pulveris vel infusi, pulsu accelerato, molli, debilique ob diarrhoeam putridam, symptomaticam, colliquantem, inscio aegro.

Camphora, huicque analoga, vinum, spiritus minerales dulcificati, decocta, infusa ex aromaticis, prioribus juncta, artubus frigidis; facie pallida, collapsa; pulsu tenui, molli; delirio taciturno.

Acida mineralia magnis dosibus in febre putrida, bilioso-putrida, aestiva, aestu valido, urente; pulsu pleno, accelerato, non duro; facie rubra; delirio furioso; absente inflammatione. Maxime conferunt in febre suppuratoria variolarum, ardente syrio, aestum temperando, alvum et urinas expediendo, putredinem arcendo. Huc et actu frigida, glacies, posca frigida, forma potus, lotionis, epithematis; aër frigidus, vento agitatus febres putridas, bilioso-putridas, aestivas, cum aestu magno, delirio feroci, sine inflammatione, mire componunt, mentem restituunt, diras cephalalgias sedant.

DII.

Victus interea medicatus sit oportet, ex classe refrigerantium, acescentium, saponaceorum, attenuantium, eccoproticorum, analepticorum, cardiacorum etc.

DIII.

Pulsus quo debilior, frequentior, inaequalior robore, inordinatior tempore, intermittentior ictu; respiratio quo difficilior, frequentior, anhelosior, cum narium pinnis magis motis, quo magis dolens circa vitalia, quo inordinatior; lassitudo quo vehementior, debilitas major, jactatio corporis frequentior, decubitus in dorsum, extensis membris, frequentior; rationis, affectuum, quo usus perturbatior; appetitus magis prostratus, digestio molestior; urina rubicundior, crassior, turbidior, cum sedimento minori, vel et tenuior, magisque aquosa, parcior, minus retinenda; motus quo magis tremuli, tactum refugientes, ludentes, carpentes; oculi, quo luctuosiores, involuntariis lachrymis humidiores, eo morbus hic (CCCCLXXXVII) pejor, letalior.

Haemorrhagiae pulmonum malae; malae quoque intestinorum, cruentique secessus; pessima vero systematis uropoëtici; certo letalis, interna, sanguine intra encephalon, thoracem, abdomen effuso.

DIV.

Ubi somnus difficilis, et male cedens, pu-

stulae purpureae, vel lividae corpus deturpant, hypochondria tensa et inflata, fere moritur.

DV.

Parotis, magna, celeriter increscens, absque levamine, utriusque lateris, cum tumore faciei, colli, oëdematoso, erysipelaceo, valde magno, valde dolorifico fit perniciosa; venas jugulares, laryngem, pharyngem, encephalum premendo: inde coma, convulsio; apoplexia, anginae, peripneumoniae letales.

DVI.

At parva, unica, lente crescens, inflammatoria, coctione praegressa, ceterisque bonis, saepe critica.

DVII.

Terminatur autem haec (DVI) resolutione benigna, orto ptyalismo, alvi fluxu, urinis sedimentosis, sudore: abscessu extrorsum, introrsum rumpendo, puris per ductum stenonianum, per aurem evacuatione spontanea, vel ejus aliorsum migratione: ulcere fistuloso, cancroso: scirrho: gangraena.

DVIII.

Nata resolvenda, aut si id fieri amplius ne-

queat, suppuranda, aperienda methodo ex chirurgicis repetenda.

DIX.

A febre baryeçoia; fatuitas; delirium placidum; pulsuum frequentia absque febre; sudores nocturni, colliquantes in dormiente; hypochondriasis nervosa; fames canina; oëdema crurum; in junioribus corporis incrementum velox, nimium, inaequale, in longum cum extenuatione, rachitis; catameniorum anomaliae, sanantur victu eupepto, nutriente, analeptico; medicamento roborante, stomachico, nervino; exercitio corporis grato, reficiente; rusticatione.

DX.

Hinc patet, quaenam febres vere sint putridae, quaeve putridam tantum mentiantur, reipsa aut inflammatoriae, aut biliosae, aut aliae quaecunque, et cur id fiat? cur non ad unum omnes modulum sint metiendae, quas vulgo putridas appellant?

Quam sit necessaria, longo solum usu comparanda, virium dijudicandarum scientia, et quaedam veluti scala, ad quam cardiacorum, antisepticorum, stimulantium ratio sit exigenda,

Quare febrium harum non paucae sanentur repurgato tubo intestinali, solis solventibus, resolventibus, aperientibus: et cur therapeia alexipharmaca, stimulante, calefaciente, roborante, utut bona non raro, tamen multo frequentius, et multo gravius peccetur, quam methodo evacuante, aperiente etc.?

Cur in respirationis conditionem tam solerter sit inquirendum, et cur plurimum conferat ad salutem in febre putrida, bene respirare?

Quare soporosis, stupidis, deliris quotidie exploranda regio epigastrii, hypogastrii, ossis sacri, coccygis, natum, trochanterum?

Cur pessima sit febris putridae complicatio cum inflammatione visceris nobilioris, et cur ea tam frequens, ut extispicia monstrant?

Quare biliosarum degeneratio in putridam prae ceteris et magis obvia? et cur in epidemias biliosas, pituitosas saepius una incidat synochus putris?

Intelligitur quoque, quid angina putrida, pleuritis, peripneumonia, dysenteria, variolae, morbilli etc. putridi?

An in putri synocho vera putredo statuen-

da, aut putrida humorum dissolutio? an is solum effectus est, non necassarius? an putredinis vocabulo solum translatitie utimur, ad statum (CCCCLXXXIX, CCCCXC) designandum? an, et quonam modo est contagiosa?

## FEBRES EPIDEMICE INTERCURRENTES.

### DXI.

Febres quaedam, utut a miasmate singulari prognatae ab altero ad alterum migrent, veluti per manus traditae, atque ita annuis et stationariis intercurrant, tamen vires subinde a constitutione nactae per populum passim grassantur, epidemice intercurrentes nuncupatae.

## VARIOLAE.

### DXII.

Huc (DXI) prae ceteris refertur morbus infantibus frequens, qui vocatur variolarum, Arabum aevo describi coeptus, homini solum,

semel per vitam infestus, specificus, temporis tamen differenti constitutione sibi multum dissimilis, duratione, pustularum figura, numeroque, periculo, symptomatibus aliis, morbisque easdem excipientibus.

Cujus quidem adeo adcurata Sydenhami descriptio, ut decies legi merenti pauca modo addenda habeam, unde pateat, et has ex parte ad eandem simplicitatem, ut praecedentes febres, reduci posse, habere tamen sibi insuper omnino quid proprium, atque aliquid idcirco in ordine medendi desiderari hactenus.

DXIII.

Est ut plurimum epidemicus, verno tempore primo incipiens, aestate crescens, languens autumno, hyeme sequenti fere cedens, vere iterum eodem ordine rediturus.

Quo citius in hyeme incipit, eo violentior, quo serius, eo mitior erit mali natura: hinc liquet, quo anni tempore periculosior.

Ceterum nunc regularis, nunc irregularis, benignus, malignus, funestus instar pestis: plane ingenio protheiformi.

DXIV.

Differt ab alia specie variolarum, non con-

tagiosarum, utut subinde popularium: has spurias appellant, veris quandoque simillimas: unde variolarum bis habitarum fortasse historiae.

DXV.

Occupat omnem aetatem, sexumque, maxime autem pueros, eosque, qui hactenus hunc morbum nondum passi sunt; quo aetas humida plus dissipavit, solida magis coëgit, eo violentior morbus: hinc pueris, mulieribus, mollibus, laxis, facilior: exercitatis, viris, senibus, pejor.

DXVI.

Malum hoc, licet epidemicum, contagio suscipitur communicato ab homine, qui prius laboravit: quod primo videtur aëri inhaerens, pulmonibus, ori, naribus, oesophago, stomacho, intestinis, dari; adeoque hoc tempore admodum parum materiei venenatae habere.

DXVII.

Atque ita communicatum, utut idem, non easdem tamen variolas gignit, sed varias, vario discrimine: prout corpora fuerint vel a varia constitutione, vel a causis singularibus diversimode praedisposita.

Diathesin corporis et anni sequuntur.

DXVIII.

Contagium inest perspirabili materiae e corpore variolantis egressae; aëri exspirato; sero tenui in vix apparente pustula; inde et puri in maturescente, et crustae in desiccata, si haec resorbentibus vasis ubicunque adplicentur.

An carent contagio sanguis, saliva, urina faeces variolantis?

DXIX.

Omnis variolarum morbus sex stadiis continetur, quorum primum est contagii, a veneni susceptione ad initium febris, communiter sex, septemve nychthemeris comprehensum, ignoratum ab homine apparenter sano.

DXX.

Alterum febrile, seu ebullitionis, in regularibus triduanum; ubi materies contagiosa, humoribus mista producit effectus quosdam ordine se mutuo excipientes, qui sunt: rigor; febris acuta, vage remittens; calor ingens, perpetuus; oculorum splendor a liquore tenui et calido illapso; facies tumidula; capitis, dor-

si, artuum dolor magnus, maxime circa partes cordis scrobiculo subjectas, attactum refugientes; foetor oris specificus; nausea, vomitus; inquietudo magna; stupor; somnolentia; sudores; atque infantibus insultus epileptici.

DXXI.

Hucusque morbus affinis omni acutae febri, praeprimis tunc corregenti, difficulter in hoc statu ab ea distinguitur: scientia epidemici intercurrentis, aegri in hunc morbum proni (DXV), contagii praegressi, et inde secutorum symptomatum (DXX) docet, quod adsit, et quod secuturae sint papulae ipsae in tertio stadio mox describendo.

DXXII.

Est autem haec febris specifica, sola efficiens morbum variolosum, cum, quae postea fiunt, inflammatio, et suppuratio, ejusdem effecta sint.

DXXIII.

Haec, utut minima persaepe, nullisque aut vix ullis pustulis judicata, tamen vindicat a morbo.

DXXIV.

Febribus aliis, maxime popularibus, facilli-

me jungitur, et hoc consortio saepe solo periculum intentat.

DXXV.

Cognito hoc morbi statu (DXX) indicatio est haec primo: ut, stimulo specifico ablato, retuso, sanetur status praesens, et impediatur ulterior ejus progressus, et proinde caveatur futura inflammatio, suppuratio, gangraena etc.

DXXVI.

Stimulus videtur auferri posse correctione per specifica ita dicta, vel saltem retundi, methodo indirecta, quam recentiorum industria perfecit.

DXXVII.

Correctio specifica niti debet invento remedio opposito illi veneno contagioso, quod tam parva mole susceptum reliqua parit, ut effecta (DXVI, DXX).

DXXVIII.

Quale (DXXVII) inveniri posse, comparatio historiae antidotorum, et indoles hujus mali, faciunt sperare, et ad indagandum impellit summa hinc futura humano generi utilitas.

DXXIX.

In stibio et Mercurio, varia ratione prae-

paratis; in blanda et iterata purgatione, emesi, phlebotomia, cortice peruviano, aqua picis, acidis mineralibus dulcificatis, gumi-ferulaceis; verius forte in moscho, et camphora, temporariam a variolis immunitatem ut quaeramus, invitat aliquis horum aliquando successus.

DXXX.

Quorum quidem effectus prophylacticus magni esset, in epidemia variolarum malignarum.

DXXXI.

Methodus indirecta hic adhibetur, experimentis ulterioribus perficienda, illa, quae deprehensa est in sufflaminanda hac febre plurimum valere, ut ea quam mitissima sit, et quam paucissimis pustulis judicetur, ne inflammatio magna in pus multum, pravum, purisque effecta, atque gangraenam abeat.

DXXXII.

Consistit illa, 1. in victu idoneo acute febrientium.

2. In usu eorum, quae virium animalium torporem excutiunt, vitalium motus componunt, uti sensuum variorum occupatio varia,

intensior, potissimum grata, sub dio, in aëre libero, verno, perflato, recenti, frigidiusculo (mensura frigoris non ad thermometrum, sed gratam aegri sensationem capta); abstinentia a somno diurno, a longiore nocturno, sub veste levidensi, stragulis modicis: quae tantis viribus pollent, in febre variolosa, ejus symptomatibus gravioribus, aestu, delirio, convulsione praevertendis, cohibendis, ut non facile, nisi expertus credat.

3. In prohibendo consortio febris alterius, cujuscunque, maxime tunc regnantis, cum febre variolosa, ea methodo, quam epidemici, cognitio dictat.

DXXXIII.

Hinc est, cur praeter dicta (DXXXII, Nr. 1 et 2) persaepe nullis remediis sit opus: et, cur, si eorum necessitas, ea plane diversa sint, diversis annis, pro genio epidemiae corregentis.

DXXXIV.

De hoc stadio haec valent:

Est aliqua durationis varietas pro varietate epidemiae, vehementia morbi, temperie aegri: quo brevius ex sua natura, eo gravior morbus; gravis quoque, si triduum superet.

Dolor lateris pleuriticus, in febre primaria, malus.

Artuum dolores rheumatici, assidui, graves pravum genus variolarum praesagiunt.

Tamen cephalalgia, cardialgia, dorsi, lumborumque dolor est etiam in benignis.

DXXXV.

Morbus hic, ubi stadium prius (DXX) absolvit, tertium, quod eruptionis voco, ingreditur, quod sic se habet:

Punctis parvis, rubris, instar morsus pulicaris, cutis capitis primo et faciei, mox manuum et brachiorum, dein trunci, et inferiorum, inter sudores continuatos inficitur; interea mitescunt, symptomata, quin plena subinde apyrexia fit, nisi eruptio per vices fiat, et prodeuntibus ultimis, primae incipiant inflammari.

Id intra biduum, triduumve absolvitur.

DXXXVI.

Huc autem sequentia pertinent ad diagnosin, prognosinque:

Quo febris variolosa mitior, eo eruptio parcior, eo lenior status inflammationis, suppurationis.

Quo lentius erumpunt pustulae, quove exactius dictum (DXXXV) ordinem observant, eo morbus levior.

Eruptio confertim, tumultuarie, ordine insueto, mala.

Quo remissio manifestior, aut plane apyrexia a prima eruptione, eo melius.

Quo cutis mollior, eo variolae facilius prodeunt: hinc infantes et puellae prae adolescentibus virisque morbum ferunt.

Mala est cardialgia, quam eruptio non tollit.

Vomitus, diarrhoea cum dolore ventris post eruptionem valde mala.

Valde malae, petechiae cum variolis.

DXXXVII.

Indicata in febre variolosa huc quoque pertinent: vescendum aura identidem nova, aegri exhalationibus non contaminata, in magno conclavi, sub dio.

DXXXVIII.

Atque ita morbus omnis finitus esset, si variolosi furunculi benigne resolvi possent.

Augentur autem omni hora quoad magnitudinem et numerum pustulae, valde rubescentes, assiduo magis, magisque elevantur; in-

flammantur; cutis tenditur; dolor; calor; impedita circulatio; impedita perspiratio; hinc febris; humorum major ad interiora repulsus, ad superiora affluxus, ob pustulas in superis plurimas, instar stimuli, liquida illuc cientes; faciei tumor, saepe monstrosus, veluti emphysema; delirium; coma; convulsio; apoplexia.

Oculi tumentibus palpebris clausi; ophthalmiae inflammatoriae, pustulosae; salivatio ab universali ad partes superas confluxu, a pustulis faucium acute dolentibus, instar acris masticatorii, salivam prolicientibus, quae in infantibus, irritabilioribus, stimulo majore, plurium pustularum oris, irritamento ad oesophagum, ventriculum, intestina propagato, aut deglutita, diarrhoeam facit; angina varia; anxietas; dispnoea; pleuritis, peripneumonia; dysenteria; mictus cruentus; haemoptoë; cutis inter pustulas liberae inflammatio rubra, dolens, calens: quae ubi duraverunt spatio 4, 5, vel 6 dierum a primo ortu, jam absolute suppuratae sunt, et in totidem parva apostemata conversae.

Hunc inflammationis decursum voco, usque in abscessum; durat pro varietate epidemici,

temperiei, magnitudinis, regiminis, vario tempore, plerumque quatuor aut quinque diebus; ita, ut octavo ab inchoamento, die suppuratio adsit.

En quartum nobis stadium, febrim maturatoriam.

DXXXIX.

Quae plane eadem est cum febre, inflammatae cuicunque parti, dein suppurandae, communi.

DXL.

Hanc numerus inflammatiuncularum, abscessulorum metitur, qualitas vero periculum.

DXLI.

Si enim morbus contagii ingens (DXX), pustulae multae, sibi mutuo proximae, ac quasi implicitae, inflammationis omnia signa magna, temperies biliosa, vigor aetatis, vita praegressa lautissima, remedia et regimen velocitatem multum augentia, aestas fervidissima, fuerint; tum ad finem inflammationis vesiculae, lympha rubella distentae, adsunt, gangraenosae indolis indices: hinc cutis circulationi, et exhalationi inepta; inde humorum in interiora repul-

sus; inde salivatio ingens; tumor magnus manuum, pedumque.

DXLII.

Ex his diagnosis et prognosis quarti status cognoscitur, ratioque morbi, et omnium symptomatum in eo capitur, his fere regulis circumscripta:

Quo pustulae in hoc stadio grandiores, rotundiores, magis acuminatae, magis abs se invicem distantes, sibi invicem similiores, eo melioris notae.

Quo materies pustularum pus magis blandum et perfectum refert, eo melius.

Quo pauciores, magis separatae, mox majores, plus a facie remotae, candidiores, dein flavae magis pustulae, quoque tardius procedunt, eo meliores.

Quo plures, magis intricatae, minores singulae, magis in facie haerentes, fuscae, nigraeve, citiusque incedunt, eo pejores.

Quo materies pustularum ichorem gangraenosum plus refert, eo pejus.

Quo spatium inter pustulas magis rubet, calet, tenditur, tumet, circa tempus absces-

sus, eo melior spes, ob circulationem hic remanentem.

Quo idem plus pallet, vel fuscum evadit, eo pejus; angina sequitur letalis, aut peripneumonia; nisi salivatio liquida, vel ingens tumor manuum, pedumve accesserit: ratio est, liquorum hic impedita, hinc ad interiora aucta, circulatio.

Si in locis inter pustulas liberis maculae purpureae, letalis gangraena designatur.

DLXIII.

Inde intelligitur, quid ad diagnosin et prognosin faciat variolarum distinctio petita,

1. a situ earundem, in discretas, cohaerentes seu corymbosas, confluentes, mixtas;

2. a figura, in acuminatas, depressas, siliquosas, verrucosas;

3. a liquore contento, in purulentas, ichorosas, chrystallinas seu lymphaticas, sanguineas;

4. a colore, in albo-flavas, albidissimas squammulas referentes sine contento, plumbeas, nigras;

5. ab alio exanthemate comitante, pete-

chiali, miliari, erysipelatoso, in simplices, compositasve.

Inde et benignitas, malignitas, regularitas, anomalia morbi, et varium disrimen scitur.

DXLIV.

Indicatio in hoc statu (DXXXVIII) est varia, pro vario gradu durantis mali: nam in primo initio apparentis inflammationis externae, requiritur cautela, ne vergat in suppurationem: de qua jam actum (DXXXI, DXXXII); quibus auxiliis saepe innumerae, vix ortae pustulae disparent, mox resolutae: aut cum id obtineri ex toto nequeat, curandum, ut minima fiat, procul a capite, et tarda: quod fit,

1. victu tenuissimo, putredini resistente; 2. potu diluente, blando, subacidulo; 3. medicamento antipyico, aperiente, diluente, assiduo, magna copia ingesto; 4. regimine frigidiusculo, maxime, admissu puri et frigidi aëris. Haec autem statim ab initio sic adplicanda sunt.

5. At, inflammatione majore; actu frigidis sepositis, balneo pedum, crurum, femorum, bis de die repetito, horum fotu tepido continuo.

6. Si vero nimio impetu fuerit morbus, mere valideque inflammatorius, cum aut sine topica visceris cujusdam inflammatione, apparatus antiphlogisticus, vi morbi par, conducit: reliquis simul, ut de singulis inflammationibus praescriptum est, actis.

7. Si epidemicus una junctus, et hujus quoque permagna ratio, ex epidemiae cognitione, habenda.

DXLV.

Post toleratum decursum hunc (DXXXVIII) sequitur status quintus, suppurationis, quo incepta illa crescit et perficitur.

In eo pustulae jam purulentae quotidie augentur, dein maturescunt, albescunt, flavent, ac tertio, quartove die hujus decursus, ab exordio primae febris undecimo, rumpuntur, ad decimum quartum usque diem siccandae, 6tum stadium.

In confertissimis vero, aut mali moris tota pinguitudo et cutis pure scatet mobili, externe aret, locis liberis inflammatur; hinc impedimento perspirationis, circulationisque, irritatione generis membranosi et nervosi, absorptu puris in venas, fit febris pessimae indo-

lis, cum pessimis symptomatibus; si materies haec purulenta sanguini mista diu movetur, putrescit; hinc haemorrhagiae putridae, perniciosae, narium, pulmonum, intestinorum; et adeo damnatus Sydenhamo cruentus mictus; hinc quoque pro vario delapsu in diversas corporis partes diros effectus, vixque superabiles, producit; deliria; phrenitides; anginas; peripneumonias, pleuritides; vomitus; dysenterias; hepatitidem; apostemata; anthraces; juncturarum tumores, abscessus, immobilitates; sensuum variorum jacturam, praeprimis oculorum vitia varia, fistulas, pannos, hypopia, amauroses etc.; tabem; phthisin; et infinita similia.

DXLVI.

Si vero tum materies tenuior, acrior, morbusque vehementior, exeditur cutis, pinguitudo, et caro; fiunt lata, pessima; ad ossa saepe penetrantia, ulcera cacoëthe; cicatrices foedae.

DXLVII.

In hoc statu (DXLV) curandus puris ad exteriora exitus, ab interioribus expulsio; quod fit laxando cutim fomentis laxantibus tepidis,

assiduo et laboriose renovatis, pustulas aperiendo, ablutione et gargarismo oris, fauciumque, assiduo; potu largo, calido, cardiaco, detergente, aperiente, putredini resistente, qualem dant acida mineralia copiose data cum apto vehiculo; clysmate blando, diluente, emolliente, laxante quotidie injecto, diu retento; purgante blando, per epicrasin dato, frequenter repetito; victu ex jure carnium cum sale et acidis condito; vini meracissimi subinde moderato usu, acidis mineralibus largius datis, cortice peruviano, camphora ore assumta, cum ovi vitello subacta, illitaque plagis longe lateque gangraenescentibus; dato simul, contra enormes impetus, opio.

DLXVIII.

Si morbus vehementissimus, ichor gangraenosus loco puris, tota fere cutis occupata; facile patet, cur infelicem adeo, imo ineluctabilem perniciem adferat hic morbus: omnium vero clarissime id liquebit ei, qui ex anatomicis norit, ut externam cutim, ita oculos, narium omnes membranas, oris omnia velamenta, asperam arteriam, bronchia, oesophagum, sto-

machum, intestina, jecur, lienem, pulmones, obsideri his pustulis.

Hinc quippe dicta intelligit, et videt, quid ad curationem requiratur, et an magnitudo mali, perditio tot aegrorum, post vulgata auxilia applicata frustra semper, non excitet boni medici solertiam, ut initio mali invadentis summa tentet; vulgata quippe methodo nullus, nisi sponte, emergit.

Prophylaxis insitiva, mox describenda, est satis certa, tutaque.

---

## INSITIO VARIOLARUM.

### DXLIX.

Cum epidemiae variolosae nunc passim funestae sint, nunc vero mites, contagium, quod paucissimis parcit, studio datum est, habito selectu temporis, valetudinis, modique, quo communicatur: haec praxis insitio audit.

### DL.

Tempore variolis inimico, aut iis quidem epidemicis, bonis tamen, nulloque alio morbo corregente, insitio fit.

Praeplacet ver adultum.

Utut insitivae quacunque anni parte, naturalibus praestent, in prava quoque constitutione.

DLI.

Insitionem facturo vitanda dentitio, graviditas, puerperium, catameniorum primitiae, febrilis quoque morbus quicunque, aut quem exorta febris pejorem, reddit.

Non vitandi morbi sine febre, a fibra laxa, debili, quosve ipsa febris sanat.

DLII.

Sani non praeparantur ad insitionem auspicato subeundam: ipsa sanitas est optima conditio.

DLIII.

Praeparatione solum eget, qui aliqua aegritudine tenetur, variolosum morbum postea perversura.

DLIV.

Quae consistit in ablatione illius aegritudinis.

DLV.

Haec cum varia esse possit, varia quoque erit praeparandi ratio; non eadem omnibus applicanda.

DLVI.

Idcirco nec phlebotomiae, nec purgationi, nec mercurio, nec antimonio, nec cortici peruviano, nec diaetae aut lacteae, aut mere vegetabili semper et ubique locus.

DLVII.

Locus inoculationi destinatus sit ruri, elatus, umbrosus, amoenus, horto et ambulacris instructus, semotus a contubernio sanorum (quamvis epidemiam nemo fecerit invito tempore): cubicula ampla, aëri pervia.

DLVIII.

Inter plures inoculandi modos ille praestat, ubi (dato pridie purgante leni) pus tenue, aquosum, apice lanceolae exceptum, punctura incruenta, ad deltoidis insertionem, in brachio utroque, infra epidermidem lanceola elevatam, viru infecta, oblique adacta, parumper morante, inversa demum, immititur; absque deligatione: prohibendo interim contagium per os naresque.

DLIX.

Hic locus, prae ceteris opportunus, monstrabit genesin, inflammationem, suppuratio-

nem variolae genitricis, morbique topici decursum.

DLX.

Qui non est commensuratus futuro morbo universali, mox ordienti; sufficiens tamen ad comparandam securitatem a variolis secundis.

DLXI.

Est autem totius morbi hic ordo:

Secundo ab insitione die vix vestigium rubrum puncturae, dein vero macula dilute rubra, vel flava conspicitur.

Tertio die finiente locus compunctus duriusculus est, velut ab exigua lenticula subcutanea, quae die

Quarto modice elevatur, cum pruritu per ambitum; scabra durities; rubedo intensior; pustulae aut potius vesiculae, tenuem lympham continentes, ope microscopii detegendae.

Quinto pustula increscit, apice splendido, albidoque, ambitu rubro, ampliore; vesiculae plures, quarum complexus variolam genitricem constituit; dolor subaxillaris; crebra coloris in vultu mutatio, intense rosei in pallidum, et vicissim; pulsus per momenta ce-

ler, mox iterum naturalis, maxime inter dormiendum; viget appetitus; nunc hilaritas, nunc vero morositas, per vices, solito major; subinde hoc die oris foetor, cum linguae sordibus.

Sexto die lympha tenuis in pustula maxima; hinc inde plura, exigua, vix conspicienda punctula in vicinia pustulae genitricis supra cutem insigniter elevatae, acuminatae, cum limbo rubro, ardore, pruritu: dolor subaxillaris major; et levandi brachii difficultas febrim primariam variolosam jamjam instantem docent.

Die septimo variola genitrix aucta, lympha jam spissescente, non pellucida; ambitus amplior, rubicundior, rubore roseo, diffuso; lassitudo; leviculi horrores; calores; carebaria; somnolentia; subinde cardialgia; appetitus minor; pulsus saepe incitatior, et febris variolosae primariae molimina.

Die octavo variola genitrix matura suppurat; febris variolosa auctior; reliqua uti pridie; somnolentia tamen major; noctu inquies; evigilatio repentina, cum terriculamentis.

Die nono pergit eadem febris, vage remit-

tens; auctis prioribus; accedit non raro convulsio universalis, extasis.

Die decimo et undecimo eruptio totalis aut partitim, febre composita, aut plurimum mitigata.

Die 12mo, 13tio, 14to nova febris, maturatoria, cum horripilatione a pustulis assurgentibus, inflammatis, suppuratis; noctu inquies; jactitatio; tussicula; raucedo; nisi paucissimae pustulae sint, eaeque aut disparuerint vix ortae, aut ante suppurationem exaruerint.

Die 15to motus febriles componi incipiunt, pustulae siccari.

DLXII.

Nonnunquam omnia uno nychthemero, serius aut citius contingunt.

DLXIII.

Est ergo morbus duplex, topicus, et universalis: quo enim ordine pustula genitrix nascitur, inflammatur, suppurat, septem dierum spatio; eodem, intra totidem dies, topico finito, universalis decurrit, pustulis in reliquo corpore nascentibus, inflammatis, suppuratis.

DLXIV.

Quo plures pustulae, eo major febris suppuratoria.

Quo plures pustulae in facie, eo major ejusdem tumor.

Quo plures in ore, faucibus, eo majora anginae, salivationis incommoda.

Febris variolosa primaria non est proportionata numero pustularum.

Inter febrim variolosam primariam, et maturatoriam est apyrexia, si unica eruptio; remissio solum, si per vices, et interruptim fiat.

Plures variolae in eo latere faciei, cui inter dormiendum incubuerit aeger diutius, crebrius.

DLXV.

Viru per insitionem communicato, victus primo quatriduo sit ab assueto non multum diversus, eodem tamen paulo parcior, liquidior, eupeptus. Die quinto sine carne, ex oleribus, fructibus horaeis; commoratio assidua, inter moderata, grataque exercitia corporis, interdiu sub dio, in aëre recenti, libero, ad gratam sensationem frigidiusculo, non immiti;

somnus interdiu nullus, nisi infantibus, concedendus; sera vespera post modicam per diem defatigationem, super stragula pilis equinis, paleis farcta, capiendus, et sub integumento levi, sine plumis, saepe, ubi aeger incaluerit inquietus, removendo, ventilando; invertendo; mane mature excutiendus.

DLXVI.

Interea prohibendi alieni morbi, sique accedant, sua methodo sanandi.

DLXVII.

Symptomata graviora febris primariae, dedolatio summa, somnolentia peculiaris, aestus febriles validi etc. petunt aërem liberum, reficientem; ambulationem, torporis excussionem ope motus, saltus moderati, lusuum variorum organa sensuum varie, valideque afficientium, quae omnia febrim, junctaque symptomata mirifice et cito sedant.

Convulsio praesens, actu frigida, aquam, aërem, eumque simul rudem, agitatum vento; excitantia varia, frictiones. odoramenta, exigit, aegro, tenui vesticula tecto, e lecto exempto.

DLXVIII.

Sub actuali eruptione abstinentia a lecto interdiu, et supra dicta, continuanda.

DLXIX.

Pustulae numerosissimae, velut confluentes futurae, non raro in suo ortu disparent, mora extra lectum, novo, nondum infecto aëre, identidem inspirato; sub veste tenui; corporis motu.

DLXX.

Pustulis inflammatis, maturantibus, pruritus, ardor, nocturna inde inquies; angina; ophthalmia: remedio est aër identidem renovatus, grate frigidus, frequens exemptio e lecto, calentibus stragulis mutatis.

Anginosis fomentum foris, et fotus faucium.

DLXXI.

Morbo finito purgans lene, omni octavo die, per mensem repetendum, et per aestatem rusticatio materiem subtrahit furunculis, abscessibus, ophthalmiis, variolas quascunque sequi solitis.

# MORBILLI.

DLXXII.

Huc alter quoque morbus pertinet, puerili aetati, iisque, qui eo nondum defuncti sunt, infestus, quem vocant morbillorum; contagio, saepe populari, una vice per vitam, eidem homini communicandus; originis, ut videtur, cum variolis coaevae.

DLXXIII.

Cum anni exordio subnascens, circa vernum aequinoctium vigens, pedetentim aestivo recedit.

DLXXIV.

En morbi stadia, cursumque:

1mo die rigor, horror, frigus calorque alternatim.

2do febris assidua; sitis; anorexia; lingua alba, humida; capitis, oculorum gravedo; somnolentia continua; stillicidium humoris acris ex oculis, cum tumore, ardore, rubore, pruritu palpebrarum; coryza, et sternutatio frequens; faucium levis dolor, velut a rheumate, cum tussi, tanquam catarrhali.

Paulo ante eruptionem nonnunquam vomitus et alvi fluxus, in dentientibus virescens.

Horum omnium augmentum in 4tum, subinde 5tum usque diem. Statum contagii dicunt.

DLXXV.

Eo autem die eruptio macularum minutarum, rubrarum, morsus pulicum referentium, primo in fronte et facie, sensim numero et magnitudine auctae, racematim cohaerentes, ex innumeris parvulis papulis supra cutem modicissime elevatis, cum aspredine, tactu quidem, non vero visu observanda.

A facie ad pectus, ventrem, femora, crura descendunt, non elatae, latiores tamen, et interstinctae.

Eruptione absoluta vomitus cessat, reliqua continuantur, aucta tussi et spirandi difficultate. Status eruptionis.

DLXXVI.

Die 6to in fronte aspredo, cuticula rupta; in reliquo corpore maculae latiores, intensius rubrae, donec die 8vo, primo in facie, dein et in trunco, artubusque pallescant, et die 9no evanescant cum secessu cuticulae, instar farinae, furfurumque. Status exarescentiae.

DLXXVII.

Per omnia haec stadia eadem febris est, veluti catarrhalis, peripneumoniae affinis, in eam saepe conversa, die nono in miti morbo terminata.

DLXXVIII.

De Morbillis haec valent:

Quo tardior eruptio, eo melius.

Subitanea retrocessio macularum cum delirio, ferme letalis.

Macularum nimia rubedo, mala; pejor vero earum livor.

A calido regimine macularum primo livor, dein nigror, letalis.

Vomitus perseverans post eruptionem, periculosus.

Mala febris die nono, et serius; est enim peripneumonica.

Tussicula post morbum, diuturna, vespertina, nocturna, cum raucedine, et febricula latentem peripneumoniam, et phthisin superventuram docet; nisi cito et potenter juves antiphlogisticis.

Ut plura funera in variolis, quam post easdem, ita plura quoque post morbillos, quam

sub iisdem, et aeque multa fortasse, ac in variolis.

Periculosus morbus, in peripneumoniam, pleuritidem pronis, haemoptoicis, tussiculosis, asthmaticis.

Cave, ne consuetam exanthematis evanescentiam habeas pro ejusdem morbosa retrocessione.

DLXXIX.

Curatio fit fere eadem, quae in angina, peripneumonia, pleuritide: scilicet apparatu antiphlogistico toto, subinde generoso, per totum morbum, cum determinatione ad pulmones: praeprimis quiete in lecto, sub levi stragulo, in aëre tepido, humidoque; victu tenui, farinoso; potu frequenti ex althaea, malva, salab, hordeo, oryza, horum cremore; emulsis nitrosis, crebro, tepideque propinatis; vaporibus ore haustis; avertendo febrim corregentem.

DXXX.

Symptoma grave est, peripneumonia post eruptionem: huc referenda de peripneumonia dicta.

DLXXXI.

Tussis longa, emacians; febricula; diarrhoea post morbillos petunt decoctum radicis salab, et phlebotomiam.

DLXXXII.

Ex hisce constat, quae differentia regiminis in morbo varioloso et morbilloso; quibusve hic sit funestus, et cur? cur ejusdem insitio, et quibusnam, commendanda?

DLXXXIII.

Haec autem fit ope sanguinis ab homine morbilloso excepti, alterique, ut in variolis insitivis, communicati.

Die 6to ab infectione febricula, tussis perpauca, absque peripneumonia; absque effectibus, morbum non insitivum sequi solitis.

---

## SCARLATINA.

DLXXXIV.

Variolis et morbillis jungenda febris scarlatinosa, non raro epidemica, maxime autumno, hyeme, et vere primo, in aetate tenera, sexu sequiore, et inter viros, queis fibra laxa, illosque, qui eo morbo nondum correp-

ti, eadem habitatione utuntur; contagio, ut videtur, peculiari propaganda.

DLXXXV.

Est febris acuta, continua, a frigore, calore, vomitu bilioso exordiens; nondum sat cognita; cognitas tamen, inflammatoriam, biliosam, putridam, eadem fors tempestate regnantes aemulata; hinc ad earundem leges sananda: cum propior medicina adhucdum desit.

DLXXXVI.

Mitissima subinde; nonnunquam passim funesta; durationis vel in eadem constitutione differentis, nunc intra paucos solum dies, nunc vero plures septimanas conclusa.

DLXXXVII.

Die febris incerto maculae primo conspiciuntur, dein plagae latiores, rubrae, panni scarlatini colore, morbillis intensius, raro pallidissime rubentes, cum levissimo tumore, calore, pruritu, ardore affectae partis, papulis albis intermixtis, miliaria referentibus; febre eflorescentiis non judicata, intra paucos tamen dies sopita, si morbus boni moris, cuticula in farinam fatiscente.

DLXXXVIII.

At morbo graviore accedunt coma vigil, soporosum; convulsio universalis; phrenitis; apoplexia: unde mors praeceps, non praevisa, in morbi principio.

Glandularum colli, submaxillarium, parotidum, tumores inflammatorii; angina varia, inflammatoria, suppuratoria, gangraenosa, putrida, maligna, tonsillarum, veli penduli, pharyngis, laryngis; unde mors subita, suffocans, ex cynanche in morbi accessu, cum delirio, orthopnoea, risu sardonio, tetano, opisthotono, epilepsia.

Malo autem hinc in thoracem, illinc vero per totum tubum alimentarem atque intra viscera abdominis demisso, a materie scarlatinosa vellicante, rodente, inflammante, septica, infinita gravissima symptomata, morbique secundarii, pro natura et officio affecti visceris, et agentis contagii modo.

DLXXXIX.

Quo tempore inter juniores febris scarlatinosa grassatur, inter adultos saepe sola angina comparet.

DXC.

Febre sensim cessante epidermis secedit, in manibus, pedibusque per integras lacinias; in reliquo corpore per modum furfurum, squamularum, farinae.

DXCI.

Cuticulae secessum in morbo gravi, subinde et levi, aëre rudiore citius admisso, vasis cutaneis obliteratis, perspirationi promovendae ineptis; secretione lotii perpauci, et subinde subcruenti, nigrescentis, diminuta, aut plane abolita, hydrops, frigidus, calidus, anasarca, demum cavitatum variarum sequitur, curationis laboriosae.

DXCII.

Natura morbi nondum sufficienter intellecta methodum medendi dictat traditam (DXCV ad DCCLXVIII) in moderanda febre, et symptomatibus mitigandis occupatam. In febre, saepe elatiore, inflammatoria, angina simili, inde abolita deglutitione, encephalo inflammatorie affecto, hirudinum ad tempora, retro aures, adplicatio; nuchae sacrificatus cruentus; rubefacientia gutturi, suris, pedum plantis apponenda; potulenta emollientia, nitrosa, sambucina;

morbo his mitigato camphora prudenter data, conveniunt.

DXCIII.

Hydrops praevertitur, praesens curatur vitando frigus in convalescente; determinando ad systema urinarium, regimine, et medicamentis; sollicitando evacuationes diureseos vicarias, alvinam praeprimis; praecavendo relapsum, tonicis, forma remedii, alimenti, exercitio corporis vario, matutino, protracto, ad initium sudoris usque, rusticatione in elatioribus.

Hydropem calidum phlebotomia solvit.

DXCIV.

An datur contagium scarlatinosum, quemadmodum variolarum, et morbillorum?

An id, semper idem in se, diversimode tamen agit, diversas vires nactum ab anni constitutione, et aegrotantis diathesi?

An ejusdem suscipiendi tantum semel in vita facultas est in eodem homine?

An febris s c a r l a t i n o s a, sine scarlatina aeque frequens, tam cum, quam sine angina? et an angina putrida, maligna, contagiosa, ab eodem miasmate, ut scarlatina?

An idcirco pauciores hoc morbo corripi existimantur, etsi fortasse paucissimis parcat, diverso schemate occultatus?

Haec quidem ita videntur.

Si haec ita se habeant, an tuto inoculari et potest, et debet? praeprimis cum inde tam multae strages?

# FEBRIS INDETERMINATA, INCOGNITA, NOVA.

## METHODUS INDIRECTA, GENERALIS, SYMPTOMATICA.

DXCV.

Febris indeterminata, nova, anonymos, tum sporadica, cum popularis medicinam petit initio indirectam, quae in generali solum antifebrilium remediorum applicatione subsistens generalis; aut in curandis urgentioribus symptomatibus occupata, symptomatica audit: necessaria semper in novae febris ingressu, aut febre cognita sed medicatrice, vel quotiescunque justum febris moderamen adest, medico spectatorem agente.

DXCVI.

Quam semper adhibere oportet, quotiescunque aut clarae indicationes non suppetunt: aut iisdem licet perspectis satisfieri nequit.

DXCVII.

Interea opera danda, ut febris ignotae indoles innotescat: 1. ex ipsius, solis naturae viribus relictae, solutione; 2. juvantium et nocentium observatione. 3. cognitione corregentium morborum.

DXCVIII.

Methodus indirecta 1. acre irritans corrigit, expellit. 2. consulit, α) viribus naturalibus; victu idoneo in acutis: β) viribus vitalibus; earum justo moderamine, dum nimias deprimit, depressas erigit, devias reducit: γ) utrisque vero uti et animalibus; cura symptomatum graviorum (DCXII).

DXCIX.

Quorum qui plurima gravissimaque juxta regulas (DCXVII ad DCC) dandas sustulerit, maximam morbi partem curarit.

DC.

Acre irritans externe haerens (ut vitri, metalli, ligni, lapidis, ossis, fragmenta acuta; aut stimulantium, rubefacientium, rodentium, vesicantium, causticorum, septicorum, venenatorum applicata), cognitum, quantocyus auferendum; dein ille locus, cui inhaeserunt, et

P

laesus inde est, fovendus erit lentis, mucosis, oleosis blandis, anodynis, leniter aperientibus.

DCI.

Acre irritans interne haerens (ut inflammationis, suppurationis, gangraenae, sphaceli, cancri, cariei ossis, ichoris, puris, lymphae acris et stagnantis acrimonia), tolli, vel corrigi debet juxta leges cognitas ex historia horum morborum.

DCII.

Acre irritans in ipsa liquida inductum, usu sex rerum non naturalium tolli, vel corrigi potest, et debet, pro sua indole varia cognita, variis auxiliis.

1. A motu nimio: quiete corporis et animi, humectantibus, diluentibus, blandis lenientibus.
2. A nimio calore aëris: temperando illum inspersione frigidae, potu aquae subacidae leviter nitrosae, cum vini subaciduli pauxillo; cibo subacido, leviter demulcente, parum salito; medicamentis vero similibus.
3. A nimis humido aëre: largo foco ex aroma-

ticis resinosisque lignis; exhalatione aromatum.

4. Ab aëre acri putrefaciente: hunc emendando accenso nitro, pulvere pyrio, vapore aceti, sale prunis insperso.

5. Ab animi affectibus: hos sedando ratione, contrariis affectibus, varietate objectorum, anodynis, opiatis.

6. A cibis acribus acidis: id acre diluendo, demulcendo, absorbendo, immutando in salem compositum; aquosa, gelatinosa animalium, oleosa, cretacea, ostracodermata, lapides animalium, terrae pingues, sales alcalini fixi, volatiles, simplices, compositi, id efficiunt.

7. A cibis acribus salinis: eam acrimoniam diluendo per aquosa, tumque evacuando simul; demulcendo per lixiviosa ex calce viva.

8. A cibis acribus aromaticis calefacientibus: diluendo per aquosa; corrigendo per acida; resolvendo et detergendo per saponacea acida; demulcendo per blanda gelatinosa. Quum alcalescentia acria huc spectent, et illa hinc intelliguntur.

9. A cibis animalium ex partibus alcalescenti-

bus: per alimenta, potulenta cito acescentia, actu acida vegetabilia aut mineralia; farinosa, saponacea abstergentia, acida suboleosa etc.

10. A cibis copia peccantibus, stomachum constringentibus: dilutione, inedia, vomitu, solutione alvi.

11. A potu acri fermentato, vel fermentante, acido, oleoso, aromatico, destillato vel simplici inducta acrimonia tollitur iisdem remediis (Nr. 5, 6, 8 hujus).

12. A nimia vigilia: curatur iisdem, ac (Nr. 1, 2, 5. hujus).

13. Si a retentis intra corpus excrementis, acrimonia alcalina, acida, oleosa, saponacea putrida: haec reddenda fluxilia; viae lubricandae; colatoria et emissaria aperienda; vires expellentes stimulandae, augendae; haec facienda per externa, interna.

DCIII.

Colatoria et emissaria aperiuntur excipiendo, transmittendo, excernendo morbido opportuna: hinc alvus, emissariorum princeps, ceterorum vices supplens, aperta servanda, remedio lubricante, eccoprotico, per os as-

sumto, in anum injecto: urinae promovendae potu frigidiusculo, aquoso, copioso, acescente; exemtione e lecto, circumductione per cubiculum: diaphoresis facilitanda, non vi urgenda, cutis sordidae, siccae, rugosae, strigosae, inperspirabilis fotu, balneo, ablutione; pilorum abrasione etc.

DCIV.

Victus idoneus in acutis constat cibis et potibus fluidis, facile digerendis, putredini adversis, siti contrariis, appetitui citando idoneis, causae morbi cognitae oppositis.

DCV.

Cibus dandus eo tempore, quo abest febris, aut quo ejus impetus saltem erit lenior.

DCVI.

Et quidem copia parca, saepe repetita: ne nimis laborare cogantur viscera, mutenturve.

DCVII.

Copia determinatur, et vis cibi, 1. ex praevisa duratione febris ad dies, 1, 4, 7, 9, 11, 14, 21, 30, 40, 60: debet enim tantum dari, quo vires sustineri queant, ut sufficiant coctioni et crisi. Quo brevior morbus, eo minus et debilius offerendum, et contra; eo autem

brevior erit, quo vehementior. 2. ex aetate aegri cognita: quo enim origini propiora, vel senectuti summae, eo difficilius inediam ferunt animalia. 3. status et vehementia morbi si cognoscuntur, varium copia et virtute cibum postulant: in ακμη tenuissima, et pauca; in adscensu et descensu eo plus, et meracius dandum, quo magis ab ea distat morbus. 4. a loco, quem aeger incolit: qui enim aequatori vicini, tenuem victum facile; polis autem propiores difficulter eum ferunt. 5. ab anni tempestate, quum aestas tenuissima, hyems validiora petat. 6. a consuetudine aegri, et temperie ejusdem naturali: qui enim sanus lautissimis usus ea facile difflat, aeger pluribus eget, ob vasa et viscera his assueta. 7. a sensu levi, vel gravi, assumta sequente.

DCVIII.

Dein vero viribus vitae consulendum, ut, quod haeret impactum, humoribus circulantibus commistum, extricetur, et eliminetur per varia colatoria, variis remediis, quorum primarium vis ipsius febris ita moderata, ut valeat id integre perficere; adeoque huc requiritur, ut sic temperetur impetus: *a*) ne inflammatio-

nes, suppurationes, gangraenas, sphacelosve queat producere (DXCII); cujus periculum imminere docet vehementia symptomatum, maxime caloris, comparata cum virtute vasculorum, *b*) neve nimio motu dissipentur liquida: id vero denunciat siccitas narium, oculorum, gutturis, linguae, raucedo, arida cutis, urina parcior, pulsus parvus, celer, inaequalis. *c*) neque ut ante coctionem torpeat nimis, ita ut materiem morbi non valeat subigere, movere, secernere, excernere: id cognoscitur, si languent actiones vitales omnino, necdum apparente signo pepasmi.

DCIX.

Si itaque exorbitare deprehenditur; moderamen fit abstinentia, victu tenui, potu aquae, aëre frigidiusculo, animi affectu leni, venae sectione, clysmate refrigerante, medicamentis blandis, aquosis, glutinosis, refrigerantibus, anodynis.

DCX.

Si segnior apparet; excitabitur ope cardiacorum desumtorum ex cibo, potuque meracioribus, aëre paululum calidiore, animi affectu magis excitato, medicamentis acrioribus, vo-

latilibus, aromaticis, fermentatis, frictione, calore, motu musculari, balneis, fomentis.

DCXI.

Deviae quoque et aberrantes vitae vires sunt reducendae, reprimendae, si nobilius viscus validius impetant. Fit id fotu vario, emolliente, discutiente, repellente, calido, frigido; scarificatione sicca, cruenta; phlebotomia; hirudine; situ corporis erecto; revellentibus, sinapismo, vesicante; sectione; ustione; enemate; purgante; emesi; aliisque pro ratione affectae partis, et materiae afficientis.

DCXII.

Symptomata ex febre acuta singulari orta inprimis haec sunt: frigus, tremor, anxietas, sitis, nausea, ructus et flatus, vomitus, debilitas, malignitas, calor, delirium, coma, pervigilium, status nervosus, convulsio, sudor, diarrhoea, exanthemata, aphthae.

DCXIII.

Quae omnia orta ex febre, ut sua causa, hac ablata cessabunt; adeoque, si ferri queunt tam diu sine periculo vitae, singularem curationem vix requirunt.

DCXIV.

Quin saepe oriuntur ex conatu vitae se disponentis ad crisin, vel ad materiae criticae excretionem; tum hanc praecedunt, comitantur, sequuntur, nec turbari debent.

DCXV.

Si vero intempestiva, nimis saeva, quam ut ferri a vita possint, aut ab aegri patientia, vel aliud gravius malum productura sunt; tum singula sunt lenienda suis remediis propriis, habita semper ratione causae, et status morbi ipsius.

DCXVI.

At princeps canon esto: medendum symptomati sine dispendio virium vitalium, nisi id ab harum excessu pendeat, ut effectus a sua causa.

---

## FRIGUS FEBRILE.

DCXVII.

Frigus in febrium acutarum initiis ponit attritum liquorum in se mutuo, et in vasa, minorem; motum circulatorium imminutum; liquidum ad extrema stagnans; cor minus con-

tractum, minus evacuatum; superficiei cutaneae vasorumque extremorum spasmum.

DCXVIII.

Efficit, si diu manet validum, polyposas in vasis majoribus, circa cor, concretiones; in encephalo vero compresso, liquidorum affluxu congestiones; hinc multa, et gravia mala in utroque.

DCXIX.

Frigus cum horrore, frequens in acutorum principio, maxime pleuritidum, peripneumoniarum; in exordio intermittentium, remittentium; instante partu, crisi; inflammatione in abscessum, gangraenam versa.

Diu per septimanas et menses fere semper interdiu frigere, velut ab aura frigidiore, cum morositate, irritabilitate mentis aucta, noctu vero inquietum esse, incalescere, vigente interim appetitu, febrim gravem, putridam, nervosam futuram portendit.

Frigus a medico quidem, sed ab aegro non animadversum, magnum, marmoreum; cum sudore frigido, roscido, in facie praeprimis, jugulo, sterno; pulsu tenuissimo, debilissimo, celerrimo; facie hippocratica; indo-

lentia post dolores; mentis praesentia, quin et hilaritate; prompto responso; spe certa salutis in aegro, est brevi et certo letale.

Idem frigus, cum sudore universali in morbo non inflammatorio, aegro irritabili, crisi facta, ceterisque bonis est mere spasmodicum, et adstantes frustra terret.

Frigus stato tempore revertens latentem aut complicatam intermittentem indicat, aut alicubi abscessum.

Frigus validum, ossa concutiens, diuturnum in quartanis, valde periculosum maxime senibus; ad apoplexiam pronis.

Frigus, horror febrim praecedens in infantibus, pueris, irritabilioribus adultis saepe in convulsionem universalem abit.

Horripilationes vagae vespertinae, subsequente calore, sudore, et maxima remissione sub auroram, post dolores absque benigna solutione, aut crisi, suppuratum significant.

DCXX.

Hinc patet, quid designet, quid praesagiat? et cur, quo majus initio frigus, eo periculosior febris?

DCXXI.

Id frigus omni eo, quod valide stimulat, quocunque demum titulo, tentatum dedit saepe insanabilem postea inflammationem: hinc salina acria, aromatica, oleosa, vesicantia, et similia, damnosa sunt.

DCXXII.

Optime autem curatur potu aquae calidae, nitrosae, cum pauxillo mellis et vini; balneo, vapore, fotu, lotione per similem liquorem; frictione blanda.

DCXXIII.

Quibus statim applicatis saepe maxima mala illico curantur.

---

## TREMOR FEBRILIS.

DCXXIV.

Tremor ponit musculorum vacillationem, causas tendentes et laxantes brevi, et involuntarie, sibi mutuo succedentes, motusque spasticos nunc contingentes, nunc absentes.

DCXXV.

Inde diagnosis liquet: prognosis autem va-

ria, pro natura, magnitudine, numero, varietate causarum.

DCXXVI.

Sic tremor manus ab adstante apprehensae in febre acuta, aegro invito, vel inscio, neque antea ob senium, abusum spirituosorum tremere assueto, neque irato, neque territo, valde malus.

Tremor manuum, linguaeve porrigi nesciae, maxime cum delirio, pessimus.

Labii inferioris tremor aut pusillanimitatem, aut saburram ventriculi motam, aut latentem levemque systematis gastrici, hepatici inflammationem notat.

DCXXVII.

Inde quoque aestimatur tremor in acutorum et intermittentium exordio: item is a jactura sanguinis nimia; alvi fluxu, vomitu, cholera; plethora; imminente apoplexia; praegressis gravibus encephali morbis residuus; a liquidorum defectu post dispendia nimis magna durante morbo.

DCXXVIII.

Curatio ex cognitione causarum repetenda.

## ANXIETAS FEBRILIS.

### DCXXIX.

Anxietas pro causa habet sanguinis ex corde egressum impeditum; adeoque per fines pulmonales, aut aortae impossibilem transitum; hinc spasmum vasculorum contractorum, aut materiem transire ineptam, aut pulmones ob inflammationem, indurationem, vomicas, impervios, ambiente aqua, pure, ichore, materie inflammatoria extravasata compressos; aut vitio pleurae, musculorum intercostalium inflammatorio, rheumatico, hinc thorace immobili, non dilatandos.

Similia orta vidimus ex impedito trajectu cruoris per venam portarum ex iisdem causis; unde, quum omnis sanguis venosus, a coeliacis et mesentericis arteriis allatus, redire non possit, stagnet, vasa extendat, arterioso fluxui resistat, et omnia hinc nata et nascitura mala producat; liquet, ambas has anxietatis causas in omni acuto morbo quam severissime observandas, et curandas esse.

### DCXXX.

Si anxietas ergo talis diu perstat, circa vi-

talia producet polyposas concretiones, inflammationes, gangraenas subitaneas, cum intolerabili angustia, et morte cito subsequente.

Si autem haesit in hypochondriis, tum maximum sensum aegritudinis circa stomachum pariet, reliquis visceribus minus acute sentientibus; dein putrefactiones subitaneas sanguinis in vasis his amplis, minusque validis; unde gangraenae, hepatis putredo, dysenteria a putrefacto letalis.

DCXXXI.

Inde optime novit medicus, quid anxietas talis pro sua causa, et natura ponit, quidque inde praesagiendum sit, simulque distinguet utramque hanc speciem anxietatis ab ea, quae est

Aut ab animi pathemate tristi, aut a viis primis saburra maxime mota, flatu, affectis; convulsis; inflammatis; gangraenosis;

A varia crisi instante;

Ab exanthematum, abscessuum subito retrocessu;

Ab inflammatorio dolore interno subito cessante, vel ob gangraenam, vel vero ob crisin erroneam;

Ab anxietate morientium cum pulsu tenuissimo, debilissime micante, vacillante, omni modo inaequali; spiratione laboriosa, densa, cita, anhelosa, suspiriosa, stridente, erecta.

DCXXXII.

Anxietatem a vitio pulmonum aut thoracis ortam prodit oppressio pectoris, orthopnoea, pulsus debilis, inordinatus.

Natam vero ab infarctu systematis venae portarum, repletio praecordiorum, eorundem constrictio, potissimum ad scrobiculum, pulsu interim forti, pleno, duro, vibrante.

DCXXXIII.

Inde etiam patet, quam varia requiratur medela ad saevitiem hujus mali leniendam; quae tamen omnis cognoscitur, et applicatur, cognita prius indole ipsius symptomatis.

Ubi ergo advertitur affectio spasmodica causa esse, haec tollitur leniendo acre irritans (DC, DCI, DCII); id expellendo per vomitoria, purgantia, sudorifera, diuretica, abstersiva; diluendo aquosis calidis; sedando animi affectum; laxando fibras, vasa, viscera; compescendo nervos irritatos per anodyna, et narcotica.

Si ab inflammatorio viscido, id solvendo, diluendo, ejusque vasa laxando, impetum denique liquidi vitalis refraenando: huc maxime faciunt potus largus, calidus, aquae mulsae farinosae nitrosae subacidae levissime aromaticae; fotus, cataplasma, epithema, emplastra applicata locis affectis, quae fiant ex diluentibus, laxantibus, emollientibus, anodynis; clysmatibus saepe, parva copia simul injectis, diu, si fieri queat, retentis, quae facta sint, ex iisdem; vapore aquae calidae, emollientibus mistae, per nares, osque, in pulmones assidue ducto.

DCXXXIV.

Si vero usquam, hic profecto mali atrocitas citam, tutamque medelam efflagitat.

---

## SITIS FEBRILIS.

DCXXXV.

Sitis siccitatem, liquorum immeabilitatem, acrimoniam salsam, alcalinam, biliosam, oleosam, putrida excrementa viae primae, pro causa sua habet.

DCXXXVI.

Hinc semper fere praesentiam alicujus horum indicat.

DCXXXVII.

Adeoque signat, illa denunciari mala futura, quae produci possunt ex iis causis, quas praesentes esse significat (DCXXXV, DCXXXVI).

DCXXXVIII.

Quare ei semper, maxime in acutis, succurendum illico est.

DCXXXIX.

Quod fit, 1. bibendo aquosa, subacida, nitrosa, demulcentia, calida, saepe, parva copia simul. 2. nares, os, fauces, simili potu fovendo, colluendo, gargarisando. 3. fotus, epithemata, et cataplasmata ex similibus, hypochondriis circumvolvendo. 4. clysmatibus similibus injectis, et retentis.

DCXL.

Si vero valida sitis una comitetur summam debilitatem, tum vinosa, imo et saepe spiritibus ditiora, prioribus (DCXXXIX) miscenda, propinanda, tuto erunt.

DCXLI.

Sitis autem nullo potu superanda, ore, lin-

gua, faucibus, aspera arteria resiccatis; voce rauca, stridula, discrimen summum.

At vero, omnino non sitire, aut sitim cessare causis licet praesentibus, iisque magnis, faucibus et lingua aridis, fuliginosis, fissis in febre acuta quacunque, potissimum ardente, putrida, maligna, aut encephalum phrenitide, comate affectum, convulsiones imminentes, aut vim vitae morbo superatam, gangraenam, mortem instantem, notat.

---

## NAUSEA FEBRILIS.

### DCXLII.

Nausea irritum conatum vomendi significat cum idea horroris; causam ergo habet proximam fibrarum muscularium faucium, oesophagi, ventriculi, intestinorum; musculorum abdominalium leviorem convulsionem; haec fit:

1. Ab acri, putri, bilioso, in vacuum stomachum pulso, in fauces adscendente, utraque vellicante, et irritante; unde reliqua eosdem equuntur motus: cognoscitur ex inedia, halitu putri, ore, lingua, faucibus sordidis; vel

2. Oritur a lenta, viscida, fluctuante ma-

terie, quae in iisdem locis natando vellicat: cognoscitur ex signis glutinosi praegressi; aut

3. A ventriculo, oesophago, intestinis, et visceribus vicinis, hepate praeprimis, leviter inflammatis: quod scitur ex signis horum propriis.

4. Tandem etiam a memoria rei, quae olim assumta similes nauseas creaverat.

5. Denique et ab inordinato systematis nervosi motu, undecunque excitato: cognoscitur delirio, spasmo, vertigine, tremore.

DCXLIII.

Si diu manet, producit inediam, abstinentiam a potu, et a medicamentis, dein vomitus; et quae hinc produci possunt mala quam plurima, quorum praecipua debilitas, acrimonia alcalina putrida, siccitas.

DCXLIV.

Sistitur ex prima causa orta (DCXLII, Nr. 1) usu acidi, salsi, aquosi potus, cibi, medicamenti; tum simili leni purgante exhibito; et acido-austeris roborantibus fibras; aut, si his non cesserit, vomitorio dato.

Quae vero ex secunda causa (DCXLII, Nr. 2)

fit, illa tollitur, diluendo, attenuando, purgando, vomitum excitando.

At, si ex tertia ortum duxerit (DCXLII, Nr. 3), tum non cedit, nisi illis morbis curatis, juxta descriptionem in superioribus datam.

Quarta species oblivione; et vitatione similium aboletur.

Quinta autem per austera, quietem, narcotica, aquam frigidam.

DCXLV.

Hinc intelligitur, cur in acutis, ubi nausea, purgatio initio data, ut et emeticum, adeo prosit, et in quo acutorum genere?

Cur aegri acutis cum febribus conflictati adeo horreant pinguia, carnosa, ova, pisces; et contra appetant aquam, acida, fructus horaeos, frigida?

Cur, nisi nausea superetur, nihil aegro prosint medicamina?

Cur saepe hoc symptoma incurabile fiat?

Cur tales morbi tandem fere cum subito, insolito, mirabili adpetitu, secedant?

Cur nauseam subinde emeticum tollat, subinde vero invitet, auferendam phlebotomia?

## RUCTUS ET FLATUS.

### DCXLVI.

Ructus pro causa habet elasticam, calore, effervescentia, fermentatione, dilatabilem materiem, quae uno momento coërcetur; altero, laxato claustro coërcente, exploditur cum sono, et impetu.

### DCXLVII.

Hinc aër, sales oppositi, fructus horaei, humores putrescentes, vegetabilia fermentantia dant ructui, et flatibus materiem; cujus impetus, foetorque pro varietate ejus indolis varius est.

### DCXLVIII.

Nec tamen omnia haec (DCXLVII), si libere exhalare queant, ullum dabunt impetum; unde liquet, spasmos sphincteris oesophagei, oesophagi, oris superioris et inferioris ventriculi, atque intestinorum semper concurrere simul, iterumque laxari; inde ructus, flatus, crepitus, borborygmi clausi.

### DCXLIX.

Si concurrunt hae duae causa simul (DCXLVII, DCXLVIII), valide agunt, et diu perstant; tum

elastica materies calore, motu, propria vi, excitata in dilatationem, constricta in cavo, cujus fibrae convulsione constrictae, membranas claudentes dilatat, tendit, dolere facit, vicina comprimit; unde dolores, anxietatesque oriuntur intolerabiles, mox ad emissos flatus cessantes.

DCL.

Curatio hujus mali fit:

1. Auferendo materiem (DCXLVII) per diluentia; calida aquosa leviter aromatica dissipantia; salium aequilibrium tollentia in requisitum praepondium; putredinem corrigentia; fermentationem sedantia.

2. Convulsiones sedantia; lenientia acrium, compescentia spiritus, huc revocanda: quorum princeps opium; et lenia antihysterica.

3. Clysmatibus, fomentis, epithematibus, calidis laxantibus, anodynis, leniter aromaticis, ut et cucurbitis, sine scarificatu abdomini impositis.

DCLI.

Ex his ipsis (DCXLVI ad DCLI) respondetur ad haec, aliter obscura, quaesita: qui cibi, potus, venena, medicamenta flatulenta sint?

cur vacuis visceribus primis accidant? cur vulneratis? cur arcte constricto abdomine? cur hypochondriacis, hystericis, convulsivis, colicisque accidant?

---

## VOMITUS FEBRILIS.

### DCLII.

Vomitus, expulsio violenta contentorum ventriculo primo, dein etiam intestinis, tandem visceribus eo se evacuantibus, agnoscit convulsionem fibrarum muscularium faucium, oesophagi, stomachi, intestinorum, diaphragmatis, musculorum abdominalium pro causa proxima; pro remota omne id, quod irritando fibras descriptas, vel facile convellenda viscera, stimulat.

### DCLIII.

Ergo vitio stomachi, cruditate, saburra varia onerati, hinc convulsi, inflammati, suppurantis, scirrhosi, cancrosi, cartilaginosi, varicosi, accedente febre acuta, aliquando accidit; pertinax est; ex idea ejus mali cognoscitur; eoque sublato demum tollitur: de quibus postea.

DCLIV.

Vitio viscerum, et partium circumjacentium, similiter affectorum, distento per ingesta stomacho irritatorum, idem toties incognita causa pertinacissimus accidit, accedente febre.

DCLV.

Vitio partium dissitarum, maxime encephali commoti; leviter pressi sero, sanguine, materie morbosa quacunque huc appellente; subinflammati.

Huc quoque vomitus a dentitione.

DCLVI.

Vitio omnis causae majoris nauseae (DCXLII); unde cognoscitur, dirigitur, curatur.

DCLVII.

Si permanet, producit atrophiam, ileum, convulsiones, et effecta nauseae majoris, et pertinacis (DCXLIII).

DCLVIII.

Si vitio causae (DCLIII, DCLVI) acciderit, curatio ex historia illorum morborum petenda.

DCLIX.

Si a causa (DCXLII, DCLVI) oritur, remedia eadem (DCXLIV) huc in usum revocanda di-

ligenter: maxime opiata, et epithemata corroborantia, attrahentia, dissipantia.

DCLX.

Inde patet diagnosis, prognosis, curatio vomitus in paraphrenitide, exordio pleuritidum, peripneumoniarum, febrium intermittentium; item a vesicula fellea bile multa, calculo, inflammatione irritata; a calculo renum, uretherum, vesicae; harum partium inflammatione; ab haemorrhoide turgente intestini recti, ani, vesicae; ab hernia incarcerata, parva, indolente ob strangulatum, hinc ignorata, vel pudore occultata; a tubo intestinali obstructo per causas varias, coarctato, vinculo praeternaturali strangulato.

Patet etiam, quid vomitus designet longus, in apparenter sano, post ingesta primo crassiora, copiosiora, dein etiam post liquidiora parce sumta, reverti solitus cum atrophia, alvo rarissima, faece parca, indurata, caprilla.

DCLXI.

Hinc quoque liquet ratio difficultatis sistendi vomitus in multis febribus acutis: tum falsitas, et periculum regulae, vomitus vomitu curatur.

Cur in omni vomitu tam sollicite sit indagandum in illius causam?

Cur saepe sudorifera vomitum tollant?

Cur saepe sistatur ille facta crisi, ut in variolis, et cur perstans facta licet eruptione tam malus?

Cur saepe missu sanguinis, ut in acutis inflammatoriis?

Cur, quibus initio febris acutae vomitus perpetuus sine causa inflammatoria, diarrhoea pro crisi, quae caveatur dato in principio morbi emetico?

Cur vomitus omnis ingesti, statim ac receptum est, pessimus in acutis sit?

Cur pessimi quoque ominis sint vomitiones immodicae, sincerae, rubrae, nigrae, lividae, aeruginosae, porraceae, versicolores, purulentae, ichorosae, foedae, cum cephalalgia, narium stillicidio, baryecoia, anxietate perpetua jactitatione, singultu, pervigilio, delirio?

DCLXII.

Ex iisdem singultus nasci, cognosci, et sanari potest.

## DEBILITAS FEBRILIS.

DCLXIII.

Si illa pars actionum animalium, quae motus voluntarios complectitur, ob febrim ita languet, ut hi cum ponderis insoliti, et impotentiae sensu exerceantur, debilitas functionis animalis adesse dicitur.

DCLXIV.

Quae cum sensatione gravioris laboris vel itineris peracti, lassitudo: cum sensu corporis velut fustibus caesi, dedolatio audit.

DCLXV.

Si actio musculosa cordis, arteriarum, pulmonum, humorumque, ope horum, circuitus ultra eum terminum sit diminuta, quo sanitas constare solet, debilitas vitalis erit, varia gradu, duratione, discrimine.

DCLXVI.

Priorem (DCLXIII) efficiunt abundantia sanguinis, seri, pituitae, praecipue commota, febre, medicamento, potu, motu, aromate, sole; affectus animi tristes; repletio primae viae, saburra mota, turgens: dein causae omnes debilitantes infra (DCLXXVI) enumerandae.

DCLXVII.

Utraque non raro (potissimum in vitae fine) ab iisdem causis remotis, et propioribus, in eodem homine reperitur junctim.

DCLXVIII.

Initio autem et in progressu acutorum, plerumque dum prior adest, vis vitae excessu peccat: subinde tamen et vires vitales et animales exorbitant simul.

DCLXIX.

Inde varia et saepe opposita medicina in symptomate apparenter eodem.

---

## MALIGNITAS FEBRILIS.

DCLXX.

Debilitas vitalis in principio febris, sponte orta, absque causis cognitis debilitantibus, plethora, inflammatione, maxime abdominali, gangraena, saburra turgente, jactura humorum gastricorum per vomitum, secessum; sanguinis; hysteria; hypochondriasi etc. malignitas appellatur, cuicunque febri, frequentius tamen putridae sociata; non bene quae-

sita in syndrome symptomatum magnorum, numerosorum, insolitorum; nec in abnormi decursu morbi ad exquisita remedia pervicacis, ejusque magno discrimine.

DCLXXI.

Hinc synochus putris cum hac vitae debilitate invadens, κατ' εξοχην febris maligna erit.

DCLXXII.

Sunt ergo febris malignae et communia putridarum symptomata, et pathognomicus character virium vitalium prostratio vera.

DCLXXIII.

Hanc produnt subita non praevisa debilitas, lassitudo, dedolatio, cum vertigine, carebaria, sensibus internis externisque tardis, obtusis, confusis; aspectu lugubri, lachrymoso, desperabundo, vel ob morbosam indolentiam indifferenti (unde fallax morbi perniciosi lenitas non raro); pulsu molli, tenui, debili, parvo, accelerato, remittente, intermittente, omni modo inaequali; situs erecti impotentia ob metum leipothymiae letalis.

DCLXXIV.

Ubi haec in morbi exordio adsunt, erit malignitas vera, primaria: rarus morbus.

Ubi vero synocho putri serius superveniunt, sponte, mala medicatione, malignitas secundaria; spontanea, aut factitia: utraque non rara.

DCLXXV.

Causa proxima malignitatis protopathicae ignota, atque anonymos, solo effectu enervante, mortificante se manifestans, cordis et vasorum arteriosorum irritabilitatem, atque adeo vitam ipsam aggreditur directe.

DCLXXVI.

Hujus vero, uti et deuteropathicae, remotiores causae sunt, evacuationes praegressae, et praesentes, magnae, repetitae, diu continuatae, spontaneae, artificiales, sanguinis, seri, bilis, seminis, spirituum; sudor; diabetes; salivatio; diarrhoea; defectus cibi assumti, retenti, digesti, intropulsi; humores circumeuntes acri quocunque infecti; eorundem discrasia, undecunque nata; causae febrium biliosarum, putridarum, plures, graviores,

diutius applicatae; vitium epidemicum, endemicum.

DCLXXVII.

Ex hac idea malignitatis notio practica, directrix, nascitur, unde agenda, et agendorum rationes.

DCLXXVIII.

Convenit ergo, quidquid in amplissima classe titulo cardiaci venit, potissimum vinosa, spirituosa, aromatica, roborantia, adstringentia; acida mineralia dulcificata. Salia volatilia, acida, alcalina, media; cortex peruvianus, serpentaria virginiana, contrayerva, angelica, hisque similia quam plurima, ori ingesta, ano immissa; naribus, locis subaxillaribus, scrobiculo, abdomini adplicata; per modum potus, odoramenti, enematis, epithematis, frictionis, cataplasmatis, epispastici, rubefacientis, vesicantis.

DCLXXIX.

Debilitatem non febrilem, virium animalium, et vitalium, in convalescentibus tollunt cibi liquidi, sanguini similes, arte digesti, gelatinosi, blandi, ex animalibus, vegetabilibusque, vinosis, et aromaticis, secundum

artem misti, saepe, parva dosi dati, cum leni frictione externorum, repletionem efficiunt commodam; inprimis si summuntur ex idonea, contra morbi curati ingenium, materie, si et conveniens corporis exercitium, habitatio, et anni tempus opportunum accedat.

DCLXXX.

Ex his omnibus liquet, cur febris maligna absque artis subsidio non sanetur, et cur cum eodem tam difficulter, ut vel probe curata occidat saepius.

Cur in constitutionem putridam frequentius cadat, quam sub dominium aliarum febrium?

Stabilito discrimine causarum utriusque debilitatis (DCLXIII et DCLXV) intelligi facilius potest, quomodo vi vitae aucta actiones animales persaepe debilitentur: cur in summa virium vitalium debilitate, praesente gangraena; pulsu celerrimo, debilissimo, vix micante; artubus frigidis, sudore frigido manantibus; facie hippocratica, nihilominus actionum animalium stupenda integritas, facilitas, quin et mentis subinde vis major, ad mortem perfectam usque?

Apparet quoque, quanti intersit, utramque speciem debilitatis (DCLXIII et DCLXV) accurate distinguere, cum quae in una prosint, in altera plerumque noceant: et, cum medicus nullo instrumento metiri vires possit, quantopere adlaborandum sit illi, ut usu multo discat, virium quantitatem juste aestimare? quam rarus sit cardiacorum in acutis intellectus? quam sit debilitas in febribus malum saepe insuperabile? cur lassitudo diuturna ante morbum, eundem gravem futurum praenunciet? cur diutissime affligat post putridas, malignas; non diu post inflammatorias?

An etiam alia febris maligna datur, a volatili et contagioso miasmate oriunda, ut quidam volunt, sudoribus motis, diu protractis sananda? an febres hac methodo sanatae fuerunt vere malignae?

---

## CALOR FEBRILIS.

### DCLXXXI.

Calor febrilis tactu, sensu aegri, thermometro noscitur: estque varius pro varietate febris, affectae partis, et modi.

DCLXXXII.

Hinc calor mitis, universalis, aequabilis, diffusus, humidus, tempore coctionis, criseos, remissionis, apyrexiae, isque bonus: vel vero mordax, acer, urens tangentis manum, atque ex sensu aegri, febris ardentis comes: partialis, in loco inflammato, suppurato: tabidorum, a pastu siccus, in volis manuum, plantis pedum, genis intense calentibus et rubris.

Item a rarefactione, plethora varia, inflammatorum, biliosorum, putridorum, variolosorum etc.

DCLXXXIII.

Qui, quamcunque causam proximam statuerint physici, propiores, remotasque permultas, natura, significatu diagnostico, prognostico, therapeia diversas habet.

DCLXXXIV.

Si rarefactio, aut sola velocitas aucta calorem facit, remedio erit quidquid eam minuit: quies muscularis, et animi; missio sanguinis; frigidorum lenta et blanda applicatio interna atque externa, emulsa assumta, primaria.

DCLXXXV.

Si plethora, haec facile superatur iisdem

(DCLXXXIV), et missu sanguinis. Si plethora cacochymica, lente et per vices evacuando, corrigendo: in solutis pinguibus, prius stagnantibus, maxima difficultas: tum aquosa, acida, mellita, vitelli ovorum, mannata, saccharina, salia media mitiora, aquae minerales, gramen, taraxacum, et similia, forma succi expressi, extracti, decocti saturatissimi, summi usus sunt; una cum evacuantibus assiduo usurpatis.

DCLXXXVI.

Si ab inflammatione, curatur iis, quae plethoram minuunt: tum aquae potu, praeprimis acido, acido-dulci, emolliente, tepido, iisque omnibus, quae vasa laxant.

DCLXXXVII.

Biliosos refrigerat aër liber, frigidiusculus, frigidus, non ad thermometrum, sed gratum sensum aegri metiendus, in motum actus; stragula levia, sine plumis; situs supra lectum sub tenui veste, erectus, in sella; levis motus corporis; potus acidus, modice austerus, frigidae, glacialis; lotiones, et epithemata, potissimum ad frontem ex iisdem, aut ex muria salis ammoniaci, marini, nitri, frigide applicata.

DCLXXXVIII.

Calor in synocho putri restinguitur iisdem (DCLXXXVII); tum acidis mineralibus frigida dilutis.

DCLXXXIX.

Calorem variolosum, paulo ante eruptionem pustularum, subinde enormem, in coma somnolentum, convulsiones desinentem, comprimunt cum suis effectis instar incantamenti auxilia (DCLXXXVII).

DCXC.

Inde veritas sequentium axiomatum: ubi inflammatio, aut pus, ibi calor major, noscendus per superiora (DCLXXXI), et argilla, aut mucilagine illita, supra locum inflammatum, citius siccatis.

Calor circa praecordia, in ventre, urens sensu aegri, exaestuans, assiduus, fixus, internus, cum anxietate, jactitatione, extremis moderate calidis, vel etiam frigidis, significat, phlogosin mali moris subesse, erysipelas internum, cito gangraenosum, letale.

Calor ad tactum naturalis, non respondens magnitudini morbi, malignus.

Magnus calor a medico solum, ab aegro non perceptus, delirium praeit.

Valde malum, delirii, comatis, convulsionis, apoplexiae prodromum, caput prae ceteris et valide calere.

DCXCI.

Ex his intelligi bene potest, quid requiratur ad mitigandum calorem, et quam varia eo remedia spectent.

DCXCII.

Intelligitur quoque, cur febris calidissima sit acuta, celeris, putrida; et in calore summo pestifera?

Cur lecti, aëris clausi, victus, medicamentorum calor adeo his noceant?

Cur aestus circa cor, et hypochondria, tam malus? Calor putrefacit, putredo facta ex se non calefacit.

DCXCIII.

Quin inde perspicitur origo, natura, efficacia siccitatis; et curatio inde dirigitur, quae potu, fotu, balneo, clysmate, gargarismate, ex aquosis, subacidis, mellitis, laxantibus fit.

# DELIRIUM FEBRILE.

DCXCIV.

Delirium est idearum ortus non respondens externis causis, sed internae cerebri dispositioni, una cum judicio ex his sequente, et animi affectu, motuque corporis inde sequente: atque his quidem per gradus auctis, solitariis, vel combinatis, varia deliriorum genera fiunt.

DCXCV.

Hinc delirium placidum, ferox, continuum, periodicum: malum fere semper, qualecunque, ut signum et ut causa, periculo tamen diverso.

DCXCVI.

Quod rite aestimare sequentia docent:

1. Leve delirium, mox a somno, item nocturnum cum mentis constantia interdiu, minus malum.

2. Minus quoque malum, delirium periodicum, in intermittentium vel remittentium accessione, vigore.

3. Delirium irritabilium, vel ob idiosyncrasiam, ceteris bonis, periculo caret.

4. Constans vero et ferox cum urina parca, pallida, sine contentis; alvo difficili, rara, alba; cutis siccitate, imperspirabilitate, ariditate; tendinum subsultu, artuum tremore, inflexione, eaque violenta, si eos extendere conetur medicus; maxillarum contractione ad ingerenda, depositionem seri ad ventriculos cerebri, infra tentorium cerebelli, atque ad thecam vertebrarum factam significat, et mortem certam.

5. Delirium assiduum cum pulsu celeri, et molli; aut celeri contractoque simul, ac vibrante; respiratione parva, accelerata, letale est: est enim depositio ad encephalum facta, non amovenda.

6. Furiosum, continuum, cum clamore, ingenti virium conatu, fuga, assumendorum aversione plena, notissimis antea, et amicissimis non agnitis, periculosissimum.

7. Taciturnum, mussitans, aut morbida mentis indifferentia, indolentia, cum pulsu praelanguido, et carphologia, valde malum; est enim malignum.

8. Taciturnum cum spiratione magna, sub-

limi, convulsionem universalem, et apoplexiam portendit a metastasi.

9. Assiduum, cum aestu assiduo; pervigilio pertinaci; carotidum et temporalium forti pulsatione; sudore colli; respiratione magna, sublimi, offensante; anxietate; jactatione; grunitu; stragulorum impatientia, convolutione; venatu floccorum; oculis conniventibus, immotis, vel ad lucem pupilla immobili; cum extremorum frigore, livore; alvo suppressa; urinis parcis, aquosis; cute sicca; abdomine elato, tenso, et aegro doloris sensum edente, si contrectetur, inflammationis internae, septicae, malignae signum est, et instantis mortis certae.

## DCXCVII.

Imminentis vero delirii praesagium dant:

Somni breves, turbati insomniis, terriculamentis abrupti; absentia mentis mox a somno; cephalalgia valida, pulsans, sine remissione; pervigilium.

Oculi vividi, scintillantes, rubri, plorantes, lemosi, torvi, vagi, defixi, obliqua tuentes, lippi, alter altero major.

Susurrus aurium gravis, assiduus; surditas crescente morbo.

Dentium stridor per vices sine somno, in non assuetis, adultis; masticatio ore vacuo; sputatiunculae; oris spuma; labiorum inconcinna motitatio, eorum in proboscidem per vices configuratio.

Silentium ad interrogata; sermocinatio cum absente, responsio non petita.

Cutis siccitas strigosa, cum urina nunc parciore, nunc absque enaeoremate.

Respiratio celeris, parva, pulsui tardiori non respondens, absque morbo thoracis.

Pulsus nunc subito acceleratus, contractus, vibrans instar chordae metallicae pulsatae, celeriter micantis.

Mores, sermo, gestus insoliti.

Potulentum non deglutire, sed exspuere, aut eo retento os colluere.

Non sitire in calidissima febre, neque angi in peripneumonia, neque dolere inflammatione licet praesente.

DCXCVIII.

Aetiologia hujus symptomatis habetur in eo omni, quod vel in encephalo haerens, ibi

natum, aliunde delatum, vel extra id, ubicunque positum, nervorum ope ejus actionem dicto (DCXCIV) modo turbare valet: scilicet

1. Sanguis velocius motus, calore expansus, versus caput abundantius ruens, ab eodem parcius refluens ob varias causas, *a*) pulmones undecunque impervios, *b*) viscera abdominis infarcta, inflammata, gangraenosa; tubum praecipue alimentarem simili ratione affectum, sordibus multis diversimode acribus, verminosis, commotis stimulatum, convulsum.

2. Humor alienus quiscunque, a febre productus, vel eandem producens, biliosus, serosus, lymphaticus, purulentus, lacteus, atrabiliarius etc.

3. Levior febrilis motus ob idiosyncrasiam aegri, et irritabilitatis excessum.

4. Dominantis constitutionis genius peculiaris.

DCXCIX.

Ex his liquet, quae deliria sint male ominosa, quae minus? quibusve necesse sit peculiariter mederi?

Cur in delirio quosdam lux, alios tene-

brae juvent, alios colloquium de rebus gratis, diu assuetis? alios concentus musicus?

Cur quidam custodum manibus elapsi, foris subito resipuerint?

Cur nonnunquam mentis compotes facti, delirare nihilominus videantur adstantibus?

Quae sit ratio delirii placidi, aut fatuitatis in convalescentibus, et quae medela? atque universim a quam multis et differentibus causis oriri delirium possit, ad quas investigandas serio incumbendum, ut fiat curatio.

DCC.

Nam pro varietate illarum (DCXC) diversa remedia, et medendi methodus debent eligi: pediluvia, epispastica pedum et poplitum; frictiones harum partium; clysmata diluentia saepe applicata; victus tenuis; potus sedans, deobstruens, diluens; capillorum abrasio; hirudines ad tempora, retro aures; scarificatio cruenta nuchae; sectio jugularis; vesicans ad caput, nucham, locum inter scapulas; medicamenta ad caput emollientia, attrahentia, subinde actu frigida, caute, prudenterque applicanda; emetica quandoque; purgantia; levia anodyna; camphora, moschus, castoreum; cruo-

ris ex pede emissio; haemorrhoidum solutio; menstruorum laxatio; atque ea omnia, quae nimio calori in delirium saepe abeunti medentur, primaria habentur.

---

## COMA FEBRILE.

### DCCI.

Coma est in febre assidua somnolentia cum effectu, vel sine eo; ponit ubique eum in cerebro statum, unde impeditur sensuum, motuumque animalium exercitatio; qui oriri potest a causis delirii (DCXC) praegressi vel subsequentis.

### DCCII.

Hinc plurimae, diversae, et saepe contrariae causae hunc affectum in febre producunt, quales sunt omnes vehementes evacuationes, aut repletiones; omnes causae cerebrum ipsum comprimentes, qualescunque fuerint; quae eaedem, in nervos si agunt, eadem fere efficiunt.

### DCCIII.

Unde iterum patet, a medico per signa prius indagandam causam illam singularem es-

se, antequam definire queat, quid applicandum sit, et quomodo: nam saepe contraria exiguntur; et saepe coma diu pertinax, irrito tentatis omnibus, sponte tandem cessat, pepasmo febris absoluto.

DCCIV.

Patet quoque ex hac causarum diversitate prognosis diversa:

Coma ex causis delirii aestimandum.

In acutorum principio gravissimi morbi praenuncium, nisi ante eruptionem variolarum aut in infantibus.

In febre scarlatinosa fere perniciosum.

Mali ominis in acutorum quoque decursu; nisi sit a vesica lotio distenta, alvo diutius suppressa, futura parotide, aut exanthemate miliari imminente, et his causis ablatis, solvatur sponte.

Cum oculorum conniventia, utraque vel alterutra palpebra pendente, deglutitione difficili, cum metu suffocationis, sonora, impossibili, in morbo antea non anginoso, metastasin notat ad cerebrum, raro tollendam hirudine ad tempora, retro aures, cruento scarificatu nuchae, alvo et urinis motis.

Delirio superveniens cum debilissimo pulsu, extremis frigidis, letale.

DCCV.

Illa autem, quae delirio, hic apta (DCC), inprimis fomenta capiti, colloque applicata.

---

## PERVIGILIUM FEBRILE.

DCCVI.

Contrarium externa facie illi malo (DCCI) est pervigilium; unde intelligitur.

Causas habet delirii, comatis, solummodo debiliores, plerumque levissimae inflammationis cerebri prima initia, quibus auctis in coma mutatur saepe.

In convalescentibus est ab irritabilitate, keneangeia.

DCCVII.

Curatur iisdem ac delirium, coma; item quiete musculari corporis; pace mentis; absentia objectorum sensuum; frigore modico; aëre humido; victu blando emolliente; potu farinoso, leni, emolliente; susurro leni, assiduo, grato, blande tinnulo; medicamentis farinosis

suboleosis, humectantibus, demulcentibus; usu anodynorum, paregoricorum, soporiferorum, narcoticorum; praemissis semper, quae inflammationi curandae, et compescendo ejus incremento, valent.

---

## STATUS NERVOSUS.

### DCCVIII.

Symptomata systematis nervei, illius partis praecipue, quae actionibus animalibus praeest, irritati, peculiaria, plura, diutius durantia, per febris decursum varia (et inde vitalium quoque et animalium functionum pendentes turbae), s t a t u s n e r v o s u s; ipsa vero febris, quam is status comitatur, n e r v o s a audit, nunc forte frequentior, quam olim.

### DCCIX.

Haec vero sunt: tremores, horrores vagi, spasmi, palpitatio cordis, anxietas saepe terrifica, imaginatio multipliciter laesa, animi pathemata varia, plerumque tristia, validaque; desperatio.

Delirium multiplex, risus, ploratus, pa-

vores, tendinum saltus; convulsiones, per vices, universales, partiales, temporariae; opisthotonus.

Paralyses, semiparalyses, stupores, aphoniae, cito evanidae, cum aliis symptomatibus alternantes.

Pulsuum perpetuae vicissitudines, in mollem, durum, celerem, tardum, parvum, magnum, remittentem, intermittentem, et varium omni modo etc.

DCCX.

Horum causa προηγȣμενη est morbida mobilitas (ευμεταβλησια) excedens, deficiens, abnormis, systematis nervei, facultatis praeprimis animalis.

Hanc dedit gentilitia labes; educatio delicatula; exercitia mentis praematura, nimia, nocturna, aesthetica; vina; venus; edaces curae etc.

DCCXI.

Superveniens febris, qualiscunque, undecunque nata, instar stimuli peregrini agit, vices supplens προκαταρκτικης causae.

DCCXII.

Hinc febris inflammatoria, biliosa, putri-

da, pituitosa, haecque frequentius, prae ceteris, et ipsa subin intermittens, nervosae fiunt.

DCCXIII.

Nec semper abest in convalescente, ob febrim praegressam longam, evacuationes in ea magnas, neglectum curae confirmatoriae, labores mentis citius resumtos.

DCCXIV.

A statu nervoso febres exleges, coctiones impeditae; crises laboriosae, imperfectae, suppressae, per loca incongrua, metastaticae, periculosae; convalescentia tarda, difficilis; relapsus; nervorum mala.

DCCXV.

Igitur cito et efficaciter medendum: remediorum princeps est ipsius febris curatio apta.

Ceterum prosunt virosa, blanda narcotica, exhilarantia, tonica, castoreum, moschus, camphora, cortex peruvianus, valeriana silvestris, opium prudenter exhibitum etc. si ea simul poscat aut admittat natura febris.

Spes salutis, et confidentia in medicum hic saepe optimum cardiacum nervinum.

DCCXVI.

Ex his liquet, quae sit idea febris nervosae verior, in praxi utilior?

Cur febris nervosa non sit specifica, suique generis, sed revocanda ad hucusque descriptas, et ex earum praeceptis sananda?

Quanam ratione conciliandi observatores hic tam diversa sentientes?

Quae sit differentia inter malignitatem et statum nervosum, et cur utriusque connubium, pessimum?

Cur frigido humidoque coelo, cur in sexu sequiore, in urbibus frequentior?

Item quanti momenti sit, tum hic, cum in aliis nervorum malis, exacte distinguere inter ευμεταβλησιαν cum atonia fibrarum, et eam cum harum nimia elasticitate, rigiditate? et cur ibi prius (DCCXV) nominata, hic vero blanda farinosa, emulsa, tepida, potu, fotu, enemate applicata, nervina sint?

---

## CONVULSIO FEBRILIS.

DCCXVII.

Violenta, invita, et alterne repetens contractio musculorum, convulsio vocatur; parti-

cularis, universalis; in anteriora, posteriora, latus; continua, periodica.

DCCXVIII.

Haec semper a vitio cerebri, quod vel ab inferioribus per nervos cerebrum vellicantibus afficitur; vel vero in encephalo ipso contentum, ejusdem actionem pervertit.

DCCXIX.

Quod oriri potest ex omni illa causa, quae hucusque exposita symptomata febrium, maxime deliria, comata, pervigilia, creare potest, si aut eorum causae fuerint validae, aut aeger solito irritabilior.

Quare iterum ingens hic varietas in aetiologia, et curatione.

DCCXX.

Si diu perseverat, commercio nervorum facile totum genus afficit, unde tristia mala, quaemadmodum (DCCIX, DCCXIV).

DCCXXI.

Si inflammationis cerebri signa praegressa subsequitur convulsio, fere letalis.

Si post urinam crassam prius emissam mox aquosa, pellucida exit, dein convulsio fit, pessima est.

Si in febre post magnas evacuationes oritur convulsio, et haec fere letalis: ut et quae cum delirio perpetuo.

Convulsio cephalalgiae validae, continuae, pervigilio, tendinum subsultui, delirio, comati superveniens, pessima.

Dysentericis superveniens, letalis.

Valde mala ab exanthemate recurrente, nisi denuo et cito prodeat.

Minus periculosa in hypochondriacis, hystericis instante judicio.

Ut etiam in principio intermittentium, aut inflammationis extra encephalum, in delicatulo, infante, puero, non diu durans.

Neque mala ante eruptionem variolarum, ceteris bonis.

DCXXII.

In curatione prius pervestiganda est causa singularis, et locus primario affectus, unde convulsio ortum habet; dein ocyus medicamenta applicanda illa, quibus acre leniri, impactum resolvi, contractum laxari possit.

Unde diluere, laxare, revellere, lenire, fere sanare solent convulsiones hasce; nec un-

quam specioso antispasticorum titulo fides adhiberi debet.

---

## SUDOR FEBRILIS.

### DCCXXIII.

Sudor in initio acutae febris, cujus causa paulo pertinacior, pro causa habet vasorum extremorum laxam debilitatem, cruoris circulationem vehementem, facilem aquae ex reliquis sanguinis principiis expeditionem.

### DCCXXIV.

Si perennat, orbat sanguinem liquido diluente, reliquum inspissat, obstructiones facit letales, sanguine postea vix diluentibus vel resolventibus auscultante, unde omne fere morborum acutorum genus produci potest.

### DCCXXV.

Ergo initio semper cohibendus, nisi constet, materiem morbi adeo tenuem esse, ut cum primo sudore difflari possit.

### DCCXXVI.

Prohibetur surgendo e lecto; sedendo; corpus a nimiis integumentis liberando; a ca-

lidis, calefacientibusque abstinendo; potu plurimo leni, blando, frigidiusculo saepe utendo, ut amissi damnum resarciatur cito; circulationem nimis velocem refrenando.

DCCXXVII.

Est autem multiplex sudor, spontaneus, factitius, symptomaticus, decretorius, levans, colliquans, perniciosus, universalis, aequabilis, inaequalis, partialis, largus, exiguus (sudatiunculam, εφιδρωσιν appellant), tenuis, aquosus, viscidus, oleosus, roridus, vaporosus, in guttas collectus, calidus, frigidus, pruriens, acidum spirans, nidorosus, cadaverosum olens.

DCCXXVIII.

Multiplex quoque ejusdem semiotice:

Sudor partialis, partem oppressam, fere resolutam docet:

Hinc pessimum, in comate, phrenitide, apoplexia sudare caput, frontem, genas, jugulum.

Pessimum, sudare thoracem in peripneumonia, est enim gravissima, utriusque pulmonis: letale, si simul largus, frigidus, in guttas collectus.

Sudor copiosus in acutorum exordio malus; pejor vero is ipse in morbi progressu, viribus fractis; signum discriminis summi, et dissolutionis.

Post rigorem, coctione praegressa, blandus, vaporosus, sensim ortus, aequabilis, universalis, calidus, magnus, perstans, levans, ex loco affecto largior, est decretorius; malus vero, si contraria.

Sudor vappidum acetum spirans cum cutis pruritu, miliaria; acidum redolens cum foetore variolas praeit.

Ubi acre biliosum, ibi sudor nidorosus.

Sudor cum foetore cadaveroso, integro subinde triduo mortem praecedit.

Frigidus vero, nisi a statu nervoso (DCCVIII) sit, gangraenae signum, mortisque ostia pulsantis. Gruner P. II. Semiotices pathologicae.

DCCXXIX.

Hinc quoque intelligitur, quid siccitas; ariditas, strigositas; quid significent; quae medela?

Siccitas assidua, universalis, cum calore

indicat inflammationem magnam, universalem judicatu difficilem.

Si siccitas partialis, cum calore partis, inflammatio subest illius partis.

Pejor est arida cutis: pessima strigosa, et aestuans simul, est enim acutissimi morbi indicium; strigosa vero moderate calens, febris diuturnae ac ferme ακρισιμȣ

DCCXXX.

Tollitur et internis humectantibus, farinosis, emulsis, tepidis, et athmosphaera humidiore, calidioreque cubiculi, fotu, epithemate, lotione emolliente, corpus spongia aqua calida inpraegnata lavando frequenter.

---

## DIARRHOEA FEBRILIS.

DCCXXXI.

Diarrhoea pro materie habet mucum, lympham, gluten, pus, saniem, sanguinem, narium, oris, faucium, oesophagi, ventriculi, hepatis, vesiculae fellis, pancreatis, intestinorum, mesenterii; pro causa vires in intestina expellentes validas, dum in ipsis intestinis con-

trahentes vires debiles, vel in vasis intestinorum absorbentibus impedimenta, ne admittant.

DCCXXXII.

Quare liquet, fluorem alvi in febribus multiplicem esse quoad materiem; causam; modum; effectus; eventum; adeoque saepe omnino incurabilem esse; et raro colliquativum, eumque vix unquam medicabilem.

DCCXXXIII.

Si continuatur diu, viscera abdominalia magis magisque in eundem morbum disponit; eadem labefactat; excoriat; inflammat; reliqua autem vasa et viscera emungit, exhaurit; hinc atrophia, macies, debilitas, dysenteria, inspissatio fluidorum per totum habitum corporis; solidorum laxitas; fluidorum jactura; leucophlegmatia; hydrops; tabes.

DCCXXXIV.

Sanatio absolvitur acris irritantis lenimine; expulsu per emetica, purgantia, clysmata; corroboratione laxi; pacatione impetus per narcotica; determinatione aliorsum per sudores, urinasve; subductione materiae morbosae, correcto ejus fonte primo.

DCCXXXV.

Ceterum alvi fluxus ab irritamento inflammatorio visceris cujuscunque abdominalis, ad intestina propagato, item inflammationi thoracis recenti et magnae superveniens phlebotomia sistitur.

Diarrhoea in dentitione, et in variolis confluentibus infantum bona est, si moderata.

Praestat in acutis habere alvum leviter diarrhoeicam.

Continuatus et magnus alvi fluxus crises impedit: malus, aegroto inscio: pessimus, cum meteorismo.

DCCXXXVI.

Verum adstricta semper alvus, enemati soli, et male obediens, cum cutis siccitate et urinis parcis valde mala: morbus enim ad caput vertitur.

---

## EXANTHEMATA FEBRILIA.

DCCXXXVII.

Efflorescentiae febriles, tam maculosae, quam pustulosae, vel mixtae, habent ut plurimum pro materie aliquid, quod minima vas-

cula cutanea transire non potest, sed ibidem haeret; pro causa autem vim vitae circulatoriam, secretoriam, excretoriam; unde pro variis hisce causis valde multiplices sunt, unde febres nomen dein accipiunt, miliares, petechiales, erysipelatosae, variolosae, morbillosae, scarlatinae.

DCCXXXVIII.

De tribus posterioribus seorsim tractari solet: de tribus primis autem facile diagnosis et prognosis formari queunt ex sequentibus.

DCCXXXIX.

Sunt autem haec exanthemata spontanea, factitia, symptomatica, judicatoria, contagiosa, non contagiosa, epidemica, endemica.

DCCXL.

Curatio difficilis non est, quum raro quidquam requirant aliud, quam ipsa febris princeps, quae nota, directas indicationes dabit; indeterminata vero, indirectas, ut satis larga levis liquidi copia mobilis servetur materies, atque vis vitae in justo moderamine perseveret assiduo; tum enim brevi aut evanescunt, aut cum desquamatione epidermidis abeunt.

DCCXLI.

Exanthema miliare, aspredo miliacea, semen milii refert.

Ejus varia divisio in album, rubrum; mixtum; febrile, non febrile; acutum, chronicum; benignum, malignum; symptomaticum (quale est saepius ante septimum diem ortum); judicatorium ex parte, vel ex toto, si compareat serius, die critico, febre mitescente, sudore praegresso, concomitante, universali, vappidum acetum olente, cum cutis pruritu, ardore; epidemicum, sporadicum; endemicum; parvulum, magnum; vesiculosum; aquosum, lacteum, purulentum.

In superficie omni externa et interna, praeprimis in ore toto, faucibus, aspera arteria, pulmonibus, oesophago, ventriculo, tubo intestinali, ano, pudendis, instar aphtharum: item, idque multo frequentius, in collo, trunco corporis, potissimum in toto ventre, femoribus etc.

DCCXLII.

Cuicunque febri jungitur, praecipue saburrali neglectae, calidis tractatae, pituitosae, lentae, lacteae protractae, puerperali, vermino-

sae, rheumaticae, purulentae etc. autumno et solo humidioribus.

DCCXLIII.

Tamen febricula tenuis, ad speciem mitis, pituitosa, longa, nervosa, tussi veluti catarrhali, aut pleuritide rheumatica stipata; cum oppressione thoracis suspiriosa, non peripneumonica; praegresso, et comitante sudore universali, acetum vappidum olente, prae ceteris miliaria profert, eaque frequentius critica.

DCCXLIV.

Subita retrocessio miliarium periculosa.

DCCXLV.

Inde liquet curationis varietas in febre miliari, repetenda ex febris ipsius varietate: liquet etiam ratio dissensus inter practicos de febris miliaris natura et therapeia.

DCCXLVI.

Maculae petechiales forma, magnitudine, colore variae; incerto die, plerumque absque levamine prodeuntes; morsus pulicum aemulantes, parvulae, amplae; morbilliformes; vibicibus similes; laete rubentes; obsolete rubrae, purpureae; cinereae; virentes; plumbeae; nigrae:

In superficie omni externa, internaque, raro in facie, saepius in collo, pectore, dorso, brachiis, ventre, femoribus, cruribus, panniculo adiposo, musculis, periostio, haec omnia penetrando, tanquam totidem sugillationes, aut extravasata, aut gangraenulae.

Vidi quoque in encephalo, pulmonibus, pericardio, corde, ventriculo, intestinis, mesenterio, peritoneo etc.

DCCXLVII.

Maculae latiores, bruneae, lividae, nigrae, letales, nisi in scorbuticis. Cinereae, virentes, aeque letales: vibices, perquam mali. Quo color laetius rubens, eo melius.

DCCXLVIII.

Non eidem febri sociantur, plerumque tamen biliosae, saburrali, alexipharmacis male adhibitis, evacuatione gastrica neglecta; putridae; malignae; pestilentiali; etiam inflammatoriae simplici ob medicinam calefacientem, aut genium constitutionis.

DCCXLIX.

Inde patet, cur nunc emeses, purgationes alvinae, nunc phlebotomiae, nunc antiseptica profue-

rint, et quae regula practica statuenda in sananda febre cum petechiis.

DCCL.

Erysipelas est exanthema diffusum, aliquantum elatum, in unica plerumque, saepe latiore plaga corporis, rubens, splendens, purpurascens, flavescens, livescens, pruriens, ardens, appresso digito pallidum; nunc vesiculosum, ambustum referens; nunc oëdematosum, calidum frigidumque; phlegmonodes; suppurans; gangraenosum; fixum, vagum; symptomaticum, criticum; sporadicum, epidemicum; periodicum; introversum; tumore praevio, comiteque glandularum cervicalium, axillarium, si erysipelas in artubus superioribus; inguinalium vero, si in inferioribus contingat;

In omni parte corporis; crebrius in facie, collo, mammis atque artubus extremis:

Febre eruptionem praecedente, comitante, subsequente, plane varia, ex superioribus noscenda, frequentius vero biliosa, inflammatorio-biliosa:

Periculo vario, pro variae febris natura et affectae partis indole, functione.

DCCLI.

Inde deducitur ratio mortis saepe non praevisae, intra paucas horas a morbi principio, apoplecticae, suffocantis, itemque velut ab assumto caustico: scilicet ab erysipelate amplo, vesiculoso, cito gangraenescente, caput totum, collum, organa respiratoria, imum ventrem obsidente: comprimendo encephalum, jugulares: elidendo fauces, pulmones: phlegmone maligna, mox gangraenescente, viscera abdominis, tubum praecipue alimentarium destruendo celeriter.

DCCLII.

Inde quoque explicatur, cur ab ira, terrore, pinguium esu, sudoribus aestivis aurae frigidae afflatu suppressis, ab unguinoso cuti admoto etc. erysipelas?

Quando mere emollientia, emolliendo-discutientia, discutientia, roborantia, antiseptica, calida, frigida, humida, sicca sint applicanda affectae parti?

---

# APHTHAE.

DCCLIII.

Quum vero in multis morbis acutis, grave symptoma, aphthae oriantur, de his nunc paucis agendum.

DCCLIV.

Sunt autem parva, rotunda, superficiaria ulcuscula, os internum occupantia.

DCCLV.

Quae examinata accurate videntur esse ultimi emissarii, quo in os liquor secretus effunditur salivosus, mucosusque, exulcerationes, factae ex obturatione ejus canalis extremi per humorem lentum, viscidumque eo delatum.

DCCLVI.

Hinc occupant omnia loca, ubi talia emissaria hiant; adeoque labia, gingivas, genas internas, linguam, palatum, fauces, tonsillas, uvulam, gulam, stomachum, intestina tenuia, ubique fere eadem specie.

DCCLVII.

Gentibus borealibus, paludosa loca inhabitantibus; tempestate calida, pluviosa; infantibus, senibusque, frequentes.

DCCLVIII.

Solent autem aphthas in ore apparituras praecedere febris continua, saepe biliosa, atrabiliaria; saepius biliosoputrida, putrida; aut intermittens, continua facta: incipiens cum diarrhoea, vel dysenteria; magna et perpetua nausea; vomitus; prostratus appetitus; anxietas ingens, saepe repetens circa praecordia; debilitas magna, magna evacuatio quaecunque humorum; stupor et hebetudo; somnolentia levis, inaequalis, perpetua; perpetua querela de pondere, et dolore circa stomachum.

DCCLIX.

Solet in initio aliquando hinc inde sparsa apparere solitaria pustula, jam primo in lingua, in labiorum angulis, in faucibus, et alibi, sine ulla certa constantia loci primi: et illae fere semper boni genii: aliquando primo apparent in imis faucibus, adscendente quasi ex oesophago crusta alba, densa, splendente, instar recentis lardi, tenacissime adhaerente, lente adscendente: atque hae fere pessimae, et ut plurimum certo letales: aliquando duris, crassis, densis, tenacibus crustis totum cavum oris ubique, usque ad extrema labiorum, ob-

sident, omnia tegentes simul; et ab his raro resurgunt aegri.

DCCLX.

Varius harum color: albus pellucidus instar margaritarum; albus sincerus ex densitate magna; fuscus; flavus; lividus; niger: quorum malignitas pari ordine, ac hic recensetur, procedit, ut prior optimus, pessimus posterior sit.

DCCLXI.

Ubi haeserunt aliquamdiu, solent inferne solvi, laxari, frustulatim decidere, sicque sensim, et successive omnes partes prius affectae liberantur.

Tum nonnullae cadunt cito, aliae tarde.

Quaedam illico renascuntur, quaedam tarde, aliae non: renascuntur quandoque aeque densae ac priores, et etiam nonnunquam adhuc densiores: patetque iterum tum diversitas periculi, et ubi.

DCCLXII.

Hic locus (DCCLVI), natura (DCCLIV, DCCLV), causa (DCCLV, DCCLVIII), symptomata hujus mali (DCCLIX ad DCCLXII), unde de genio sta-

tuere licet: atque inde effectus ejus facile deduci possunt.

DCCLXIII.

Ubi enim talis crusta aphthosa totam superficiem tegit partium descriptarum (DCCLVI), tum sensum nervis imprimendum tollit, unde sapor omnis sublatus.

Exitum liquidorum per sua emissaria impedit, unde siccitas, vasorum suppositorum dilatatio, liquorum sub his stagnantium putrefactio, inflammatio partium ipsarum.

Cavitates vasorum absorbentium claudit, unde ingressum novi chyli, potus, medicamentorum impedit, vitia a denegata refectione corporis nata producit, unde tandem inde mors.

Crustis deciduis, major per dilatata vasa jam aperta humorum effluxus, unde salivatio, diarrhoea, quae bonae, si non renascuntur aphthosae crustae; malae, si iterum procreantur.

Deciduis crustis, dolor inflammatarum, et jam denudatarum partium, saepe vivum cruorem stillantium, unde saliva sanguinolenta, talisque dysenteria.

Haec autem omnia, si stomacho, emissario

hepatis, pancreatis, intestinorum applicantur, nos docent infinita mala, quae ex hoc uno morbo oriri possunt: ut non opus sit aliam prognosin dicere.

DCCLXIV.

Si vero ulcerosae crustae hae admodum lentae, crassae, latae, compactae, tum saepe suffocata caro subjecta, inflammata, suppurata, gangraenosa, in dira ulcera mutatur, eroso quandoque in os palati usque ejus involucro; qualia autem in stomacho et intestinis hinc mala, per se patet.

DCCLXV.

Ut curetur optime hoc malum, debet

1. humorum vitalium impulsus internus in partes obsessas excitari, temperari, ut suppeditato liquido inferne resolutio, laxatio, lapsus concilietur crustae ulcerosae: id efficitur potu multo, calido, diluente, resolvente, abstergente. Et quia in mala specie hujus morbi vasa lactea obsessa introitum facilem negant, hinc fomenta, vapores, balnea mirifici hic usus ex eisdem; cibus autem optimus ex aqua, pane, coctis, dein vino et melle mistis.

2, debet crusta in facilem citumque lap-

sum disponi : id fit fomento, gargarismo, clysmate; quae liquore calido laxante, emolliente, detergente, et satis diu adhaerendo humectante, putrefactioni resistente, constare debent.

3. Simulac lapsus conciliatus est, tum anodyno, demulcente, et simul parum cotroborante medicamento simili utendum.

4. simulac rursum febris sedata, urina hypostatica, pulsus paulo liberior, tum potus corroborans prodest.

5. in fine mali purgans corroborans per alvum exhibendum.

Optima interim aphtharum medela, prophylactica, et curatoria, est ea ipsa, quae febris principis, mature et apte curatae, ex regulis hucusque datis.

DCCLXVI.

Ex hac historia et curatione aphtharum multa obscura problemata practica solvuntur:

Cur enim in febre cum diarrhoea et dysenteria in fine morbi aphthae? Cur id in pueris, senibusque inprimis? Cur maxime, si medicamenta, victus, regimen, calefacientia, aut adstringentia, in initio morbi hujus data?

Cur si in talis morbi initio purgans datur, aphthae hujusmodi non raro praecaventur?

Cur in pessimis aphthis molestus et funestus singultus?

Cur ora aphthosa, ventres turbati, appetitus prostrati junguntur ab Hippocrate?

Cur aphthosa tunica ventriculi lienteriam creat?

Cur aphtae nigrae pestiferae habentur?

Cur aphthosum os gravidae abortus praenuncium?

Cur in putridis pulmonibus, hepate etc. aphthae adsunt?

Cur tumor, calor, suffocatio, angina ab aphthis refrigeratis?

Cur deliria, jactationes, pervigilia, sudor frigidus, adeo hic funesta?

DCCLXVII.

Regula ergo est:

Aphthae pellucidae, albae, tenues, sparsae, molles, facile cadentes, parum renascentes, superficiariae, bonae.

Contra vero, candidissime opacae, flavae, fuscae, nigrae, densae, crassae, coëuntes, du-

rae, tenaces, assiduo refectae, erodentes, malae.

DCCLXVIII.

Reliqua febris symptomata his similia et agnata, velut morbi ipsi curari postulant.

## FEBRES SPORADICAE, ET SINGULARES.

DCCLXIX.

Febres annuae et stationariae nonnunquam *solitariae* comparent, extra tempora sui principatus, ob causas peculiares iisdem gignendis aptas; *sporadicae* vocantur.

DCCLXX.

Qui vero annuas et stationarias populariter grassantes exacte didicerit, easdem ipsas non praetervidebit, utut solitarie visas, et tempore non suo.

DCCLXXI.

Aliae quoque subinde febres occursant, horarum omnium; nulli certae temporum constitutioni unquam alligatae; a domestica, singulari origine natae, idcirco *singulares* dictae.

Huc febris lactea, puerperarum, vulneraria etc.

DCCLXXII.

Hae (DCCLXXI) vero, propriam licet et originem et naturam nactae, nihilominus vim epidemici experiuntur, in eundem commutandae, eidem sociandae. Inde ingens nonnunquam in eadem ad speciem febre curationis diversitas.

DCCLXXIII.

Idcirco in singularium curatione est inquirendum, 1. quacum cardinalium major intercedat analogia; et 2. quae sit potestas epidemici in singularem.

DCCLXXIV.

Ex hac comparatione singularis febris cum quadam cardinali, atque ex morbi simul popularis indole perspecta, velut ex duplici fonte eruitur notio practica propositae febris singularis: unde indicationes et indicata. Exemplo sit febris lactea, puerperarum.

---

## FEBRIS LACTEA.

DCCLXXV.

Foetu excluso et utero contracto mutatur humorum circulantium dispensatio, ute-

roque exclusi mammas petunt impetuosius.

DCCLXXVI.

Inde febris, minor, majorve intra paucas subinde horas conclusa, nychthemeron vix egrediens, lacte ad mammas conjecto veluti crisi terminata, *ephemera lactea*.

DCCLXXVII.

Non reditura, nisi metastasi facta imperfecta ob excipientis ineptitudinem, vel molem excipiendi.

DCCLXXVIII.

Tum vero mammis ob applicatas fascias, thoraculos angustiores, pinguedinem multam, tumores, cicatrices, gentilitiam, nativam structuram, humoris velocius allati vim nimiam, ineptis suscipiendo toti lacti, fit turgor, plethora lactea, lacteo-inflammatoria, et effectus ejusdem varii, quorum princeps, febris, *lactea protracta*, seu *secundaria*.

DCCLXXIX.

Estque acuta in non lactantibus, vel non sufficienter, continua remittens, cum accessione quotidiana, horrore longo, calore insequente, et sudoribus largis, diu protractis.

DCCLXXX.

Periculosa est inepte curata, aut in consortio alterius, tum forte epidemice grassantis.

DCCLXXXI.

Terminatur, 1. sudoribus sub finem accessionum; 2. spontaneo vel artificiali lactis fluxu e mammis; 3. lochiis profusioribus, lactiformibus; 4. urinis; 5. alvo; 6. miliaribus, crisi ambigua; 7. metastasi lactea, inflammatoria, ad encephalum, thoracem, abdomen; supremum femur etc. eventu vario.

Inde deliria, convulsiones, apoplexiae, peripneumoniae, asthmata, hydropes lactei, purulenti, et abscessus in locis variis.

DCCLXXXII.

Subinde in morbos chronicos abit, maniam; febrim hecticam; arthritidem; fluorem album; concipiendi impotentiam utero laxato; concepti emissionem; abortiendi proclivitatem.

DCCLXXXIII.

Comparatur protracta lactea cum febre plethoricorum, inflammatoria, synocho imputri; atque ad hanc, tanquam ad febrim illam cardinalem, quacum est major similitudo, re-

ducitur; hinc ergo indicationes, et tota medendi ratio petenda.

DCCLXXXIV.

Prior (DCCLXXVI) medelam non petit, posterior sanatur,

1. Vitando frigida, aromatica, vinosa, calorem nimium foci, lectique; medicamenta calida, utut specioso aristolochicorum titulo superbientia; animi affectus validos, iram, terrorem praeprimis; quiete corporis, animique conciliata.

2. Minuendo plethoram:

*a*) Diaeta tenui, antifebrili;

*b*) Excretiones sollicitando varias: scilicet, α) lactis effluxum e mammis: suctu tempestivo, indolente: earum fotu, epithemate laxante. β) perspirabilis materiae: tepore lecti, potusque emollientis, sambucini, copiosi. γ) alvi: ope enematum, salium mediorum, magnesiae muriae etc. δ) lochiorum: non aristolochicis, sed fotu emolliente hypogastrii, pudendi, vaginae, uteri; injectione ex emollientibus. Quo autem natura vergit, eo praeprimis ducendum.

*c*) Mittendo sanguinem, fovendo partem dolen-

tem, in motu febrili nimio, nimium diuturno, inflammatorio; dolore alicubi fixo atque inflammatorio.

DCCLXXXV.

Medendum et mammis nimium repletis, turgidis, tensis, dolentibus, inflammatis tempestivo suctu, non violento, priusquam inflammatio accesserit; omisso, si doleant: tum vero fotu, aut cataplasmate emolliente applicato: tandem, inflammatione remissiore, emolliendo-discutientibus.

DCCLXXXVI.

Est autem (quod maximi faciendum) in tota curatione inquirendum simul, an aliquid, et quantum accesserit huic febri ex morbo populari, annuo aeque ac stationario; atque inde quoque agendorum rationes capiendae.

---

## FEBRIS PUERPERALIS.

DCCLXXXVII.

Nulla febris est, quae non aliquando in puerperam cadat, ea vero praeprimis, quae constitutioni praeest.

DCCLXXXVIII.

Hanc autem excitant in debiliore, quocunque puerperii tempore, subinde ultimis diebus graviditatis, prae ceteris partus ipse laboriosus, manu rudiore, ferro absolutus; faeces antiquae, tempore graviditatis collectae, acres, commotae; abusus oleosorum, opiatorum absorbentium, aristolochicorum, stragulorum; errores diaetetici; aër non renovatus; febris lactea validior, diuturnior, male curata.

DCCLXXXIX.

Hinc patet, male semper uteri, ejus appendicum, intestinorum, mesenterii, omenti, peritonei inflammationem statui pro hujus febris causa; neque ubique aut saburralem, aut putridam esse:

Atque universim, non esse specificam febrim puerperarum; sed eandem cum regnante, modificatam solum a puerperio.

Inde ratio quoque dissensionis inter practicos.

DCCXC.

Tamen pauperiores; hinc parce, maleque pastae; vel et aliae ex causa quacunque antece-

dente debilitatae; tempore austrino, molli; aut pluvioso, subfrigido; in depressis habitantes, febrim pituitosam, longam, miliarem in puerperio saepius experiuntur.

DCCXCI.

Practicorum examini subjicitur, an materies lactea corpus oberrans toties, ut arbitrantur, ad diversas partes corporis deponatur?

An vero saepius ob febrim auctam varia loca, praeprimis glandulosa, aut antea obstructa, inflammentur, suppurent, aut lympham phlogisticam crisi erronea in proxima cava dimittant? ut idcirco aut pus, aut materies inflammatoria pro semi coagulato lacte imposuerit?

Id quidem frequenter accidisse, expertus novi.

---

# FEBRIS LENTA HECTICA.

DCCXCII.

Febris consuetos terminos morborum acutorum egressa; per menses, quin et annos protensa, ad speciem mitis, toleratu facilis, plerumque tamen sero perniciosa, vocatur lenta.

Sique inde corpus plurimum extenuatur, adipe fere omni consumto, hectica, tabifica, depascens dicitur.

DCCXCIII.

Inde (DCCXCII) dignoscitur a lenta pituitosa (CCCLXXVI); praeprimis vero ex augmento caloris febrilis a pastu semper observato; ex functionum animalium et naturalium laesione minore, vitalium vero majore; majore euphoria morbi.

DCCXCIV.

Sensim obrepit, ab aegro non animadver-

sa initio; pulsus modice accelerati, contracti, subduri, vibrantes, potissimum a pastu et vesperi; calor solito auctior, assiduus, manum diutius admotam fere urens, aegroto tamen vix molestus, nisi sumto cibo, in volis manuum, pedumque planta; cutis crassa, arescens, strigosa; urina parca, colorata intensius, cum enaeoremate pingui, versicolori, supernatante, aut cum sedimento albido, mucoso, puriformi, rubello; alvus initio rara, siccave, fluens tandem atque colliquans; sudores nocturni, copiosi, inaequales; ad jugulum, sternum, scrobiculum, frontem et partem capitis capillatam, uberrimi, febris quidem remissionem ad auroram, sed debilitatem, maciem, marasmum inducentes; cibi desiderium vix imminutum, faucibus siccis, siticulosis, calentibus, assiduo; respiratio multum citatior a modico motu; tussicula sicca cum anxietate, morositate, maxime a pastu; lassitudo continua, vesperi major aegroto licet erecto, membrave trahente; color faciei vel subauriginosus, terreus, squallidus, vel a cibo rubore genarum spectabilis, dum cetera pallent; somni turbati insomniis, vigiliis per vices, non reficientes.

Tempora cavantur; refugiunt oculi; defluunt carnes, maxime femorum, furarum, brachiorum, mammae, nates, capilli.

Hinc omnis pinguedinis colliquatio, macies, atrophia, marasmus.

Tandem diarrhoea primo per vices, nunc assidua, valde debilitans; aeger nunc lecto affigitur plerumque: tument infima crura, pedesque tumore aquoso.

Interim mens plerumque mire tranquilla, aut sua sorte contenta, aut spe certa salutis lactata, in futuros annos facienda proponit.

Tandem cute vix ossibus haerente, ventris fluxu debilissimi, respiratione brevissima, saepe non opinanter et placide, dum vires intendunt alvum ponendo, recumbendo, loquendo, moriuntur.

DCCXCV.

Subinde apta methodo per aestatem convalescere visi, pereunt autumno: vel hyeme superata, pereunt primo vere.

DCCXCVI.

Nonnunquam exorsa instar acutae, continuae, aut remittentis abit in lentam hecticam, ordine, et symptomatibus dictis (DCCXCIV).

DCCXCVII.

Morbus juvenibus, atque infra aetatis acmen constitutis frequentior, letalior; atque inter hos siccioribus, tenerioribus, calidioribus, quibusve major est irritabilitas, exquisitior sentiendi facultas, haereditaria, vel acquisita.

DCCXCVIII.

Oritur 1. a causa varia, irritante, rodente, inflammante, assiduo applicata; uti pus, ichor, vermes, acre arthriticum, syphiliticum, scrophulosum, cancrosum, metallicum. Item a metastasi materiae achorum, tineae, scabiei, herpetis, et ulceris olim foedi, nunc male siccati.

DCCXCIX.

2. A causa obstruente; liquida inspissante, coagulante; solida stringente: cibo, potu, morbo, medicamento, veneno.

DCCC.

3. A causa premente pulmones, hepar, ventriculum, ejusque pylorum, pancreas, lienem, glandulas mesenterii, ovaria, systema venae portarum; scilicet a tuberculo, scirrho, steatomate, gypso, ossiculo, cartilagine, callo, calculo, hydatide: inde viscerum actio tur-

bata, impedita; humorum elaboratio prava, imperfecta; eorundem degeneratio multiplex, et acrimonia: inde febris, macies, atrophia, marasmus.

DCCCI.

4. A causa in nerveum systema diu valideque agente, animi pathemate, potissimum tristi, ira, moerore, invidia, odio, zelotypia, nostalgia, cura insomni, studiis nimiis, nocturnis: inde eadem (DCCC) mala irritabilitatem augendo, vires ventriculi coctrices minuendo.

DCCCII.

5. A nimia jactura

*a*) Sanguinis: haemorrhagiis variis, chronicis, repetitis; partu, abortu, haemorrhoide, vomitu secessuque cruentis, phlebotomia.

*b*) Seri, lymphae: sudoribus profusis, diabete, diarrhoea, leucorrhoea, abscessu, ulcere nimium manante, tumore lymphatico aperto, spina bifida reserata.

*c*) Succi salivalis, oesophagei, gastrici, enterici.

*d*) Seminis: venere nimia, praematura, solitaria.

*e*) Chyli: passione coeliaca, diabete chyloso, ductuum chylum vehentium laesione.

*f*) Lactis: unde calor, febricula; constrictio, ardorque thoracis; inter scapulas dolor velut a rheumate; tussicula, subinde cruenta; palpitatio cordis; hysteriasis; pulsu vibrante, duro, contracto, genisque roseis.

DCCCIII.

Fit ergo a febre acuta imperfecte judicata: scilicet

*a*) a febre inflammatoria suppressa, non ex toto sanata: inde febricula assidua, chronica, calida pulmonum intemperies, peripneumonia latens, haemoptoë parca, crebra tamen, vomica demum et phthisis (DCCCX) letalis.

*b*) a febre biliosa male curata, male judicata: inde febricula vaga, remittens, annosa; urinis croceis, jumentosis; alvo irregulari; facie dilute flava, oculis similibus; ore amaro; laesa coctione; flatu multo; sudatiunculis nocturnis, olentibus, nidorosis, acribus; pustulis rubris et pruritu per corpus; macie, mentis mobilitate dignoscenda.

*c*) non absimilia mala post febres putridas perverse curatas, male terminatas.

*d*) a febre erysipelatosa, rheumatica, arthritica febriculae longae, depascentes, cum miro, varioque lusu systematis nervosi.

*e*) a febre variolosa, febricula chronica, cum macie, tussicula, lippitudine, artuum dolore vago, carie hinc inde.

*f*) a morbillis, motus febriculosi, assidui, cum tussi catarrhali, longa, in phthisin terminanda.

*g*) ab intermittente neglecta, longa, adstringentibus curata, viscerum abdominalium, potissimum hepatis, et totius systematis venae portarum obstructio; inde febricula longa, depascens.

DCCCIV.

Prognosis his fere circumscribitur:

Viscerum integritas; aetas par ferendo morbo; vis vitae nondum projecta; causarum, quae morbum fecerunt, nunc absentia; aeger ipse obtemperans praeceptis sagacis medici, salutem promittunt: contraria perniciem.

Hancque certo, si pus in viscere nobili collectum, quod educi nequit; si scirrhus in simili viscere, magnus, ejusdem functionem

impediens; si vires fractae morbo, medicatione, senio.

Torositas multum celeriterque diminuta; diarrhoea crebro revertens, consumens; dysenteria; lienteria; artuum superiorum tabes, inferiorum hydrops, supremum morbi stadium indicant, certamque mortem.

DCCCV.

Methodus medendi erit: 1. generalis, ea ipsa, quae (DXCV ad DCCLXIX); indirecta, symptomatica, huc traducta; quotiescunque febris origo, natura, causae materiales ignorantur: aut, licet cognitae, nequeunt auferri directe.

DCCCVI.

Vel vero 2. particularis, ex febris ipsius natura intellecta; vel ejus affinitate perspecta, cum alia febre aliunde cognita, cardinali; illiusque ad hanc reductione.

DCCCVII.

Vel 3. peculiaris, quasi specifica, remedio peculiari, quasi specifico, certa experientia probato.

DCCCVIII.

Inde (DCCCV ad DCCCVIII) hac regulae statuuntur: scilicet

*a*) Si sit status (DCCCIII a); febrim inflammatoriam non ex integro solutam, resolutioni tamen semper proximam, leviorem, retusam, latentem, chronicamve effectam sanat vivendi ratio et medicatio antiphlogistica, continuata.

*b*) Si status (DCCCIII b, c, d, g); prosunt salia, acida, media; tamarindi, manna, fructus horaei multum saponacei; aquae acidulae; spadanae dein, et frigidum infusum corticis peruviani: atque alia his analoga quam plurima.

Curatio autem fit, si superveniat febris intermittens: si acuta, depuratoria: si diarrhoea foetida, dysenteria; eruptio cutanea, pustulosa, ulcerosa, herpetica. Solvitur et pedetentim modo quodam insensibili.

*c*) Si fuerit (DCCCIII, e) febris hectica ab acri varioloso oriunda, juvabit cita puris, forte alicubi jam collecti emissio, aut ejusdem, sive collecti, sive diffussi, ad exteriora derivatio, fonticulo, rubefaciente, vesicante:

Usus lactis cum aquis soteriis misti; ejus seri, simplicis, aut herbis convenientibus medicati; hydrogalactis; restaurantia demum, quorum amplissima classis selectum dabit.

*d*) Febri lentae a causa (DCCCIII, f) medentur dicta (DLXXXI).

*e*) A causis (DCCCI) producta febris hectica tollitur, 1. removendo causas animi pathematum, oblivione, affectu contrario, hinc itinere ad exteros, persuasione. 2. corrigendo diathesin biliosam, ab affectu tristi inductam, aquis mineralibus, sale multo et aëre fixo ditioribus, manna, cassia, tamarindis; salibus mediis, acidisque; sero lactis vinoso, tamarindinato; lacte ebutyrato. 3. dando interea alimenta morbo opposita, antibiliosa, facile digerenda, cremorem hordei, orizae; fructus horaeos acidos, acido-dulces; carnes teneras; vinum dulce, edentulum, parce sumendum. 4. firmando systema gastricum, nerveumque nimis irritabile, remediis tonicis, amaris, aromaticis, vinosis; cortice peruviano per modum infusi, decocti, extracti propinando; item actu frigidis ore assumtis, ano immissis, corpori externo per modum balnei, frictionis, frontalis etc. applicatis; dein rusticatione, motuque corporis equo, curru, saltu etc.

Oriunda a causis (DCCCII) poscit remedia (DCCCVIII, *e*. 3, 4).

DCCCIX.

Ex hisce habetur ratio, cur in iis, quibus macies magna, febricula valde exigua, irritabilitas vero nimia est, ab acri saturnino, arsenicali, syphilitico, alvi fluxu pertinaci ob dysenteriam graviter multatis lac vaccae, caprae, asinae, nutricis, meracum, aquae mistum aut fontanae, aut soteriae, parvis haustibus, crebris tamen, stomacho a cibis, bile, glutine libero, tepide datum tantopere prosit? cur ejus loco vitellus ovi recens aquae mistus cum sacchari pauxillo?

Cur decoctum radicis salab lactis vices suppleat, ubi ob febrim intensiorem lac dari nequit? cur idem decoctum, itemque decoctum limacum, ostrearum febri lentae a tussi convulsiva residuae saepe tam bene medeatur?

Cur febriculam lentam a peracta difficili dentitione sanet cortex peruvianus?

Cur in febre lenta ab acri scabioso, achoroso, herpetico, muriatico decoctum viperarum, ranarum, testudinum?

Constat etiam, quae sit vis constitutionis in hasce quoque febres, et quanti id sit in earum curatione faciendum?

# PHTHISIS PULMONALIS.

DCCCX.

Febris hectica ab ulcere pulmonum orta, est frequentissima, maximeque exitialis; atque idcirco pensiculatim consideranda.

DCCCXI.

Si ulcus pulmones exederit ita, ut totus inde habitus corporis consumatur, phthisis pulmonalis aegrum afficere dicitur.

DCCCXII.

Cujus ulceris origo deducitur ab omni causa, quae valet sanguinem in pulmonibus ita sistere, ut in materiem purulentam abire cogatur.

DCCCXIII.

Hae causae possunt referri: 1mo ad ipsam corporis temperiem illam, qua vergunt in haemoptoën primo, hinc in ulcus loci erosi. Haec consistit

*a*) in teneritudine vasorum arteriosorum, et in impetu acrioris utcunque sanguinis: cognoscitur conspectu tenellorum vasculorum, et totius corporis; collo longo; thorace plano, et angusto: scapulis depressis; sanguine valde

rutilo, tenui, dissoluto, acri, calido; colore valde candido, et amoeno roseo; cute pellucida; hilaritate, et subtilitate praecoci ingenii. Praesente hac dispositione, saepe haereditaria, eaque aetate, qua vasa, incrementi apicem adepta, ulteriori productioni suae resistunt, adeoque intra 16tum, et 36tum aetatis annum sanguis augetur copia, acrimonia, impetu.

*b*) in ea debilitate viscerum, qua ingesta, sua indole nimis tenacia, obstructiones, putrefactiones, acrimonias, suscipiunt, hisque dein malis erosa vasa, post haemoptoën exulcerant: cognoscitur levi febricula, tussicula sicca, calore majori, rubore labiorum, oris, genarum, auctis et insurgentibus, quo tempore novi chyli in sanguinem ingressus, facili sudore dormienti, debilitate, anhelitu ad minimum motum magno.

*c*) in ea conditione viscerum ventris imi, ubi sanguis venae portarum aut ob copiam, lentorem atrabiliarium, aut ob viscera a causis praeviis obstruentibus impervia, tardius movetur, abundantius congeritur; unde plethora abdominalis: inde reliqui sanguinis ad superiora nisus major, ejusdem per pulmona-

lia vasa transpressio laboriosior; in eadem vis major; horum distractio, ruptura: inde haemoptoë, et quae hanc excipiunt mala.

Cognoscitnr, 1. scientia causarum obstruentium olim praegressarum, et signis viscerum obstructorum; 2. ex habitu corporis ευσαρκε', ventricosi, opipare pasti, desidiosi, atque ex repletione hypochondriaci, haemorrhoidarii.

DCCCXIV.

Hujus vero conditionis effectum, haemoptoën accelerant:

1. omnes consuetae excretiones interceptae, maxime sanguineae, ut haemorrhoidalis, uterina menstrua, lochiorumve, haemorrhagia narium, missio sanguinis cosueta, inprimis in plethoricis, vel truncatis membra.

2. Vis quaecunque magna pulmonibus illata, tussi, clamore, cantu, cursu, nixu corporis ingenti, ira, vulnere quocunque quacunque causa inflicto.

3. Victu acri, salino, aromatico; potu simili; vita; morbo alio, unde copia, acrimonia, velocitas, rarefactio, calor sanguinis augetur; unde in febribus acutis, peste, variolis, scorbuto, toties contingit.

DCCCXV.

Hinc (DCCCIV) oritur cum dolore levi, calore modico, angusta oppressione in thorace perceptis; exit sanguis plerumque floridus, coccineus, spumans, cum tussi, strepitu pulmonis, fibris, membranulis, vascula, carunculas, referentibus; pulsu molli, parvo, undoso, anhelitu; sapore salso in ore antegresso.

DCCCXVI.

Curatur 1. venae sectione larga, tertio quoque die, ad quartam usque vicem, repetita, vel donec signa vel plethorae, vel occultae peripneumoniae integre disparuerint. 2. medicamentis refrigerantibus, incrassantibus, demulcentibus, mulcilaginosis, lenientibus, diu usurpatis, intermixtis subinde lenissimis diacodiatis. 3. sex rebus non naturalibus ita directis, ut adversissimae sint causis (DCCCXIII, DCCCXIV) enarratis: maxime victu, vitaque, blandissimis semper continuatis; quo vegetabilis diaeta inprimis facit. 4. Corrigendo specificam naturam causae vel morbi singularis (DCCCXIII. a, b, c).

DCCCXVII.

Ubi semel accidit, sedatumque est (DCCCXVI),

quibuslibet 6 mensibus per aliquot annos mittendus sanguis, aut etiam saepius, copiam tamen minuendo.

DCCCXVIII.

Si vero ob magnitudinem mali (DCCCXV), stiptica male applicata, neglectamve veram medendi methodum (DCCCXVI), post sputum sanguinis oritur dispnoea, assiduo increscens; horror vagus, calor ruborque genarum; tussicula sicca; febricula hectica; sitis major; debilitas; gravitatis in thorace sensus; signat, vulnus haemoptoës jam collectam circa labia sua, et sub crusta arefacti cruoris, materiem mutare in pus, collectionem abire in vomicam tectam, qua rupta, in ulcus pulmonum apertum.

DCCCXIX.

2do. Oritur itidem collectio haec puris, praeter causas dictas (DCCCXIII, DCCCXIV), a pleuritide, et peripneumonia quacunque, terminata in apostema (CXLVI ad CL): cognoscitur iisdem signis (CXLVI ad CL).

DCCCXX.

3tio. Quin empyema (CL) ortum potest rodere, eliquare, consumere pulmonem; ut fiat

idem morbus, ac si proprio hic ulcere absumeretur (CCXV ad CCXVIII, CL, Nr. 4); cognosciturque signis ibidem positis.

DCCCXXI.

Unde liquet, quaenam signa sint cognoscendi ulceris pulmonalis, etiam tecti; quot diversae ejus causae, quam diversae species, ut et quam diversa phthisis?

DCCCXXII.

Effectus vero ulceris pulmonalis jam facti, sed tecti, nomine vomicae, hi fere observandi: puris acrimonia, copia, putredo quotidie auctae: membranae hoc coërcentis dilatatio, corrosio, maceratio: vasorum sanguiferorum, bronchialiumque conversio in pus: totius pulmonis, vel alterutrius lobi consumtio purulenta: tussis fere perpetua sicca, vel sputa solo concussu tussiculoso abrasa promens: sanguinis in ulcus affluentis conversio in pus: vomicae propagatio in pulmone: vomicae hujus perruptio in laryngis tubos: puris suffocans aliquando secretio, vel quotidiana cum tussi, ingens, in aqua subsidens, coacta, dulcis, pinguis, foetida, alba, rubra, flava, livida, cineritia, strigmentosa, igni imposita carnem

assam spirans foetidam: vomicae perruptio in cavum thoracis, unde respiratio difficillima, phaenomena empyematis (CL, Nr. 4, 5). Tum respiratio pessima; consumtio omnis sanguinis, chylique in pus; nutritivi praeparatio sublata; solidorum consumtio fere integra; febris hectica cum pulsu parvo, languido, calore ad superiora acri, genis rubentibus, facie hippocratica; anxietas inexplicabilis circa vesperam plerumque; sitis magna; sudor nocturnus ingens; pustulae rubrae; pedum, manuumque inflatio a parte affecta; debilitas summa; vox rauca; capillorum defluvium; pruritus toto corpore, cum pustulis aquosis; diarrhoea flava, foetida, purulenta, cadaverosa, frequens, tenesmodes, debilitans; sputi suppressio; mors. Unde regulae hae perspiciuntur:

DCCCXXIII.

1. Phthisis haereditaria omnium pessima, nec sananda, nisi cum praecautione haemoptoës.
2. Phthisis ab haemoptoë per vim externam, sine vitio interno praeexistente, levissima est, ceteris paribus.
3. Phthisis (II), in qua subito rumpitur vomica, exspuitur pus album, coctum, aequale,

facile, respondens copia ulceri, sine siti, cum appetitu, digestione, secretione, excretione bona, difficulter quidem, tamen sanari potest.

4. Phthisis ab empyemate insanabilis.
5. Sputa gravia, solida, olentia, dulcia, cum signis ultimis (DCCCXXII), desperata.

DCCCXXIV.

Postquam vomica jam facta in pulmone, indicatio oritur medica, eam ilico maturare, rumpere: quod fit victu lacteo, vapore tepido, expectorantibus: ubi rupta, tum

1. Sanguinem liberare a diathesi phlogistica, post haemoptoën a causa (DCCCXIII, a) fere semper residua, oportet.
2. Ulcus quantocyus consolidare.
3. Hujusmodi in corpus ingerere, quae minimam requirunt vim, ut per pulmones fluere, ibique subigi queant; tamen nutrire apta, et inflammationis in ulceris ambitu, purisque inde refectioni inepta.

DCCCXXV.

Primae indicationi satisfit ope medicaminum refrigerantium, nitratorum, emollientium, emulsorum tenuium ex amygdalis dulcibus, et

seminibus frigidis confectorum, omni forma, magna copia, parvulo tamen haustu vice singula, diu, tepideque sorbillandorum.

DCCCXXVI.

Alteri vero:

1. prohibendo medicamina calefacientia, sanguinem rarefacientia, ad pulmones determinantia; illius motum, copiam, acrimoniam augentia, quocunque specioso titulo, abstergendi, depurandi, consolidandi, remedii vulnerarii, balsamici, antipyici, antiseptici, commendata; tussim moventia, interna, externa; motum, equitationem.

2. conciliando quietem maximam ulceratae parti; quod fit pace mentis, corporisque; hinc decumbendo assiduo, abstinendo ab omni voluntario exercitio pulmonis, ut is quam minimis inspirationibus vexatus admittat ulceris sanationem.

DCCCXXVII.

Ad tertiam indicationem ptisanae, cremores, serum lactis, lac ebutyratum, hydrogala, et victus e vegetabilibus praeparatus spectat.

DCCCXXVIII.

Curatio vero hujus morbi palliativa ma-

xime spectat tussim, anxietates, alvi fluorem.

DCCCXXIX.

Quibus occurritur diaeta (DCCCXXVII), opiatis caute adhibitis, liquidis calidis.

DCCCXXX.

Ex his liquet, quae sit remediorum, methodorumque aestimatio, quas praxis vulgata commendat in phthisi pulmonali?

An et quando cortici peruviano sit locus? et cur obsit saepius?

Cur ver et autumnus tabidis funestus, et quonam mortis genere? Quid extispicia tunc doceant?

Unde curationis difficultas in sanando ulcere pulmonum?

Cur morbus hic in urbibus, et in quibus, et cuinam hominum generi, sexui, aetati sit insidiosior?

Quae prophylaxis in familiis gentilitiae phthisi obnoxiis?

Quando setaceum, fonticulus, rubefacientia assiduo adplicata ad brachia, sub usu lactis asinini, hydrogalactis, decocti cerealium, radicis salab, et aquis selteranis lacti commistis

phthisi pulmonali medeantur? et a qua causa oriundae?

Quid sit illud Hippocratis: sanguinem ex pulmonibus spuere, vel eundem spuere ex hepate?

Cur haemoptoë larga, subito orta, in non praedisposito, sine febre, aut ea mox desinente post sputum, raro in phthisin abeat, et saepius sanetur cum constantia? contrarium vero fiat in casu opposito?

---

## PHTHISES ALIAE.

### DCCCXXXI.

Ut ab ulcere pulmonis, ita hepatis, lienis, pancreatis, meseraei, renum, uteri, vesicae, etc. phthisis produci potest, cujus cognitio, praedictio, effectus, curatio, palliatio facile ex iisdem fontibus petitur ab eo, qui visceris cujusque effectus naturales perspectos habet, de dictis (DCCXCI ad DCCCXXXI) vide Trnka historia febris hecticae etc.

---

# MONITA ET PRAECEPTA.

DCCCXXXII.

Febre nondum determinata, ab usu remediorum heroicorum abstineto: utere methodo solum indirecta, generali, adversus symptomata generalia, eminentiora febris incognitae (DXCV ad DCCLXIX).

Indicatione incerta, maneas in generalibus.

Nunquam aliud magni facias, ex mera hypothesi, aut opinione.

DCCCXXXIII.

Hac methodo plurimum fit boni. Magni momenti est, non nocere; neque admittere, ut adstantes aegro noceant, aut aeger sibi. Subinde solum licet hac negativa medicatione uti.

DCCCXXXIV.

Neque febre primum incipienti et levi remedia magna opponas, et ipso morbo majora.

DCCCXXXV.

Eadem symptomata morbi non omnino idem significant, si non sit eadem constitutio temporis.

DCCCXXXVI.

Qui enim solam morborum externam faci-

em et eorundem apparentias spectabit, eosdem morbos quovis anno, et quavis anni parte sibi videbitur videre, et re ipsa differentes eidem methodo male subjiciet (XLVI).

DCCCXXXVII.

Atque idcirco cognitis aegri sexu, aetate, conditione, vitae genere, morbis praegressis, praesentisque febris decursu intellecto, nondum formes diagnosin, nisi et febrim stationariam et annuam consideraveris: haec tria completam dabunt notionem morbi (XLIX).

DCCCXXXVIII.

Hinc tempora oportet semper sollicitissime expendere.

DCCCXXXIX.

Neglectum hoc studium constitutionum stationariarum, annuarumque, earum transitus, successionis, commissionis, et corregentium morborum, plerarumque epidemiarum descriptiones mancas fecit.

DCCCXL.

Desideratur enim historia naturalis synchronistica constitutionum variarum, per plures consequenter annos; ex iisdem principiis et juxta ductum naturae semper veridicae, in differentibus plagis observatarum.

DCCCXLI.

Cautus sis in emeticis et purgantibus propinandis, iterandis, ne signa saburrae fallacia habeas pro veris (CCLI).

DCCCXLII.

Continuato usu emeticorum, purgantium sordes, mucus, inappetentia etc. saepe augentur ab humorum salivalium, oesophagei, gastrici, enterici, biliosi, aucta secretione ob stimulum, organis harum secretionum, excretionum, applicatum.

DCCCXLIII.

Si dubites de evacuatione instituenda, notandum, eam plerumque plus nocere praeter rem factam, quam omissam, ubi fuerat indicata.

DCCCXLIV.

Si tamen dubites de evacuatione instituenda, evacuationes fiant exploratoriae, per enemata, eccoprotica, exiguas phlebotomias etc. inde enim indicationum certitudo eruitur non raro.

DCCCXLV.

Ne maneas totus in unius febris idea, ut complicationis sis immemor, aut transitus.

DCCCXLVI.

Sed esto perattentus et cautus in diversarum febrium differentes methodos requirentium commistione.

DCCCXLVII.

Vix non in omni febre (maligna excepta) aut prodest, aut saltem non nocet, curam a methodo plus minusve antiphlogistica auspicari.

DCCCXLVIII.

Atque in omni phlogoseos concursu cum aliis vitiis quibuscunque, prima ratio habenda est inflammationis.

DCCCXLIX.

Medicus in assiduo popularium morborum studio versetur, ut et praesentes febres apte sanet, et imminentibus prophylaxin requisitam opponat.

DCCCL.

Febres enim populares saepius ob pravam medendi methodum occidunt, quam ob deleteriam quamdam ipsarum naturam.

DCCCLI.

Non mireris hanc febrium hucusque explicatarum paucitatem, cum mille modis sibi jungi, succedere, intendi, itemque singulae mille

formis ludere possint, ut idcirco infinitus propemodum febrium diversarum numerus videatur, quas tamen ferme omnes ad paucas essentiales, tanquam elementares revocabis (XXXII).

DCCCLII.

Videntur enim novae febres oriri saepius, ubi solum est notae cujusdam febris forma nova, modificatio, complicatio, tendentia, successio, intensio, et lusus novus.

DCCCLIII.

Febres autem intermediae ad has elementares, seu cardinales sunt reducendae.

DCCCLIV.

Atque idcirco simulque ob dictas (DCCCLI) variationes innumeras, paucarum licet cardinalium febrium, medico opus in febribus curandis sagacissimo; summe industrio; summe attento; perseverante; nec imprudenter festinante; indicationibus solum certis, remediis solum simplicissimis inhaerente; neque spe, neque metu, neque pervicacia, neque praefidentia, neque aliud agendo, neque novitatis studio in transversum acto.

# CONSPECTUS MATERIARUM.

Pag.

# Verzeichniß

einiger medizinischen Schriften, welche im Verlage von J. G. Heubner erschienen, und in allen Buchhandlungen zu haben sind.

---

Abhandlung (medicinisch-practische) der Phosphorsäure. Angewandt in Nevropathie, einschliessend auf Mutterkrämpfe, von F. B. Dr. Med. gr8. 1802. 9 gr. od. 42 kr. rh.

Adler, chemisch-medicinische Abhandlung von den Eigenschaften des Egerschen Sauerbrunnen. 8. 1782. 4 gr oder 18 kr. rhn.

Albini (B. S.) de Ossibus corporis humani ad auditores suos. 8. 1759. 12 gr. oder 54 kr. rhn.

Aretäus des Kappadoziers Heilart der raschen und langwierigen Krankheiten, 4 Bücher, a. d. Griech. mit beygesetzten Anmerkungen, übersetzt von D. Dewez, k. k. Hof- und Leibmedicus. gr. 8. 1803. 1 Rthlr. oder 1 fl. 48 kr. rhn.

Aretaei Cappadocis de causis et signis acutorum et diurtunorum morborum libri quatuor. 8. 1 Rthlr. 8 gr. oder 2 fl 24 kr rhn.

Auenbruggeri, (L. Med. Dr.) Experimentum nascens de remedio specifico. 8. maj. 1776. 12 gr. oder 54 kr. rhn.

Baader (F. X.), vom Wärmestoff, seiner Vertheilung und Entbindung, vorzüglich beym Brennen der Körper. 4. 1786. 1 Rthlr. oder 1 fl. 48 kr. rhn.

Baumgartner, (Dr. Andr.) Aräometrie, oder Anleitung zur Bestimmung des spezifischen Gewichtes, und zur Verfertigung genauer Aräometer für Chemisten und Technologen. gr. 8. Wien 1820. 18 gr. oder 1 fl. 24 kr. rhn.

Bayer, (Th.) Grundriß der allgem. Pathologie. gr8. 1782. 10 gr. oder 45 kr. rhn.

Beer, (G. J.) Ansicht der staphylomatösen Metamorphosen des Auges, und der künstlichen Pupillenbildung, mit einem illum. Kupfer. gr8. 1805. 1 Rthlr. od. 1 fl. 48 kr. rhn.

Beer (G. J.) Nachtrag zur Ansicht der staphylomatösen Metamorphosen des Auges ꝛc. mit einer Kupfertaf. gr8. 1806. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

— — das Auge, oder Versuch das edelste Geschenk der Schöpfung vor den höchst verderblichen Einflüssen unsers Zeitalters zu sichern; für jedermann dem die Gesundheit seiner Augen lieb ist. Mit schwarz. und illum. Kupfern. gr8. 1813. brosch. 2 Rthlr. 8 gr. oder 4 fl. 12 kr. rhn.

— — Lehre von den Augenkrankheiten, als Leitfaden zu seinen öffentlichen Vorlesungen entworfen, 2 Bde. mit schw. und illum. Kupfern. gr8. 1813 — 1815. 9. Rthlr. oder 16 fl. 12 kr. rhn.

— — Geschichte der Augenkunde überhaupt und der Augenheilkunde insbesondere, 1tes Heft. gr8. 1813 broch. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

Beinl, (A.) von einer eigenen Art Lymphgeschwulst, und der zweckmäßigsten Methode, dieselbe zu heilen. gr4. 1801. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

Bekanntmachung einer neuen Curmethode des Wund-Starr-Krampfes. gr8. 1800. 4 gr. oder 18 kr. rhn.

Benkö (S.) Ephemerides meteorologico-medicae, annorum 1780 – 1793. Cum exsculpta Comitatus geographica mappa. 5 Vol. 8. maj. 1794. 4 Rthlr. 16 gr. oder 8 fl. 24 kr. rh.

Beobachtungen der kais. königl. medizinisch-chirurgischen Josephs-Akademie zu Wien, 1ster Bd. mit 9 Kupf. gr4. 1801. 3 Rthlr. 8 gr. oder 6 fl. rhn.

Boer, (H. X.) Versuch einer Darstellung des kindlichen Organismus. gr8. 1818. 16 gr. oder 1 fl. 12 kr. rhn.

Brunner, (A. A.) Abhandlung von der Hervorbrechung der Milchzähne. gr8. 1771. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

Cannela, (B.) Wahrnehmungen über die Ursachen, die Beschaffenheit und Heilart der Lungensucht. Aus dem Italienischen übersetzt, und mit Zusätzen und Anmerkungen, von Joseph Eyerel. 8. 1799. 18 gr. oder 1 fl. 24 kr. rhn.

Commentarius in Pharmacopoeam Austriacam militarem novam, in usum Medicorum Castrensium austriacorum, ex germanica in linguam latinam versus. 8. maj. 1800. 20 gr. oder 1 fl. 30 kr. rhn.

Creve, (C. C.) medicinischer Versuch einer modernen Kleidung, die Brüste betreffend, nebst einer Bemerkung über das Schminken. 1794. 4 gr. oder 18 kr. rhn.

Y

Cranz, (H. I. N.) Analyses Therm. Herculanarum Daciae Trajani celebriorumque Hungariae accedit Aquarum Hungariae, Croatiae nomenclator. 8. maj. 1773. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

Diehrich, (A. B.) Versuch einer kurzgefaßten speciellen Pathologie von den Fiebern, 1ster Theil. gr. 8. 1783. 9 gr. oder 42 kr. rhn.

Erdelyi, (M. v.) Versuch einer Zoophysiologie des Pferdes und der übrigen Hausfäugethiere. Nebst einer Skizze der vorzüglichsten österreichischen Pferderacen und Gestüte. Als Handbuch für angehende Thierärzte und Oekonomen bearbeitet. gr8. 1820. 1 Rthlr. 14 gr. oder 2 fl. 48 kr. rhn.

Ferro, (P. J.) vom Gebrauch der kalten Bäder. gr8. 1790. 1 Rthlr. oder 1 fl. 48 kr. rhn.

Frank, (J.) Reise nach Paris, London und einen großen Theil des übrigen Englands, in Beziehung auf Spitäler, Versorgungshäuser, übrige Armeninstitute, medizinische Lehranstalten und Gefängnisse. 2 Thle. 2te Ausgabe. gr8. 1816. 3 Rthlr. oder 5 fl. 24 kr. rhn.

— — Heilart in der klinischen Lehranstalt zu Pavia. Mit einer Vorrede von Johann Peter Frank, aus dem Lateinischen, mit praktischen Bemerkungen von F. Schäfer, gr8. 1797. 1 Rthlr. 20 gr. oder 2 fl. 54 kr. rhn.

— — Gesundheits-Taschenbuch für das Jahr 1803, mit dem Bildnisse Jenners. 8. 1 Rthlr. oder 1 fl. 48 kr. rhn.

— — Ratio instituti Clinici Ticinensis a mense Jan. usque ad finem Junii anni MDCCXCV, quam reddi. Praefatus M. Jos. Pet. Frank, 8. maj. 1797. 1 Rthlr. 12 gr. oder 2 fl. 42 kr. rhn.

Fröhlich, (A.) Abhandlung über die kräftige, sichere und schnelle Wirkung der Uebergießungen, oder der Bäder von kalten oder lauwarmen Wasser in Faul-, Nerven-, Gall-, Brenn- und Scharlachfiebern, den Masern, und einigen andern langwierigen Krankheiten. Durch eine Sammlung von eigenen und mehreren 1000 Erfahrungen berühmter Aerzte bestätiget. gr8. Wien 1820. 1 Rthlr. 16 gr. oder 3 fl. rhn.

Galen, vom Aderlassen gegen den Erosistras. Uebersetzt und mit Anmerkungen versehen von M. v. Sallaba. 8. 1791. 9 gr. oder 42 kr. rhn.

Güssmann, (P.) Lythophylacium Mitisianum Dissertatione previa, et observationibus perpetuis physico-mineralogicis explicatum. 8. maj. 1785. 2 Rthlr. 12 gr. oder 4 fl. 30 kr. rhn.

De Haen, (Ant.) Opuscula quaedam inedita, accedunt historiae morborum a Stollio in Collegio Clinico Haenii annis 1770 — 72, consignatae. Editionem curavit et praefatus est Jos. Eyerel. 2 Partes 8. maj 1795. 2 Rthlr. 12 gr. oder 4 fl. 30 kr. rhn.

Hassenfratz und Adet, System der chemischen Zeichen für die antiphlogistische Chemie, und ihre Nomenclatur. Zum Gebrauche deutscher Scheidekünstler, Aerzte und Apotheker. Herausgegeben von K. F. v. Meidinger, mit 6 Kupf. gr. 8. 1801. 16 gr. oder 1 fl. 12 kr. rhn.

Heidemann, (J. A.) zuverlässige Prüfungsart zur Bestimmung des wahren von dem Scheintode, nebst neuen physiologischen Erfahrungen aus der Anwendung der verstärkten galvanischen Electricität auf thierischen Organismus, mit einer Kupfert. gr8. 1804. 18 gr. oder 1 fl. 24 kr. rhn.

— — vollständige auf Versuche und Vernunftschlüsse gegründete Theorie der Electricität für Aerzte, Chemiker und Freunde der Naturkunde, 2 Bde. gr8. 1803. 3 Rthlr. oder 5 fl. 24 kr. rhn.

Heisteri, (B. D. L.) Compendium anatomicum totam rem anatomicam brevissime complectens, editio sexta prioribus longe auctior atque emendatior, 2 Tomi. 8. maj. 1 Rthlr. 4 gr. oder 2 fl. rhn.

Hildenbrand, (Val. nob. ab,) institutiones practico medicae, Rudimenta Nosologiae et Therapiae specialis complectentes. Tom. I a III. 8. maj. 1817 — 1821. 7 Rthlr. 8 gr. oder 13 fl. 12 kr. rhn.

Hulme, (N.) leichte und sichere Heilungsart des Steins, Scorbuts, Podagra, und Vernichtung der Würmer im menschlichen Körper, aus dem Englischen übersetzt, 1781. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

Huxhamii, (J.) Opera phisico-medica curante G. C. Reichel editio aucta. 3 Tomi, 8. maj. 1784. 2 Rthlr. oder 3 fl. 36 kr, rhn.

Jenneri, (E. D.) Disquisitio de causis et effectibus vario-

larum Vaccinarum ex Angl. in Lat. conversa a C. A. Careno, cum fig. col. 4. maj. 1801. 1 Rthlr 16 gr. od. 3 fl. rhn.

Jenneri, (E. D.) Continuatio disquisitionis et observationum in variolas vaccinas. Ex anglico in latinum conversa ab A. Careno. 4. maj. cum fig. col. 1801. 18 gr. oder 1 fl. 24 kr. rhn.

Ingenhouz, (J.) Miscellanea physico-medica. Edidit J. A. Scherer. 8. maj. 1795. 16 gr. oder 1 fl. 12 kr. rhn.

— — vermischte Schriften physisch- und medizinischen Inhalts. Uebersetzt und herausgegeben von H. K. Molitor, mit Kupfern. gr8. 1782. 1 Rthlr. 12 gr. oder 2 fl. 42 kr. rhn.

Knolz, (Dr. J. J.) naturhistorische Abhandlung über die Blutegel und ihren medizinischen Gebrauch. Mit 2 Kupft. gr. 8. Wien 1820. 1 Rthlr. oder 1 fl. 48 kr. rhn.

Lenhossek, (Mich. a.) Physiologia medicinalis. 5 Vol. 8. maj. 1816 et 1817. 8 Rthlr. oder 14 fl. 24 kr. rhn.

Link, (G. W.) Grundsätze der Pharmazie, nebst der Geschichte und Literatur derselben, zur Erklärung der neuen verbesserten österreichischen Provinzial- Pharmacopoe. 2 Bände in 3 Abtheilungen. gr. 8. 1800. 4 Rthlr. 12 gr. oder 8 fl. 6 kr. rhn.

— — praktische Mineralogie für angehende Aerzte, Apotheker und Künstler. 1ster Theil. gr8. 1796. 1 Rthlr. oder 1 fl. 48 kr. rhn.

Marabelli, (Fr.) Apparatus medicaminum nosocomiis ac generatim curationi aegrotorum pauperum maxime accomodus auctus et editus ab A Careno, 8. maj. 1801. 1 Rthlr. 16 gr. oder 3 fl. rhn.

Mayer, (J. E.) Sammlung medizinisch-praktischer Beobachtungen auf der Clinik zu Wien. gr8. 1802. 2 Rthlr. 16 gr. oder 4 fl. 48 kr. rhn.

Methode der chemischen Nomenclatur für das antiphlogistische System von Morveau, Lavoisier, Berthollet und von Fourcroy, aus dem Französischen, zum Gebrauche hoher Schulen, bey deutschen Vorlesungen über die antiphlogistische Chemie, von K. F. v. Meidinger. 2te Aufl. mit 6 Kupfert. gr8. 1801. 1 Rthlr. 16 gr. oder 3 fl. rhn.

Monteggia, praktische-Bemerkungen über die venerischen Krankheiten, aus dem Italienischen mit Anmerkungen von Eyerel. 8. 1797. 18 gr. oder 1 fl. 24 kr. rhn.

Müller, (D. F.) anatomische und physiologische Darstellung des menschlichen Auges. gr. 8. 1819. 18 gr. oder 1 fl. 24 kr. rhn.

Nagy de Nyir (Dr. Franz) Darstellung der neuern Ansichten über die Natur der Salzsäure. gr8. Wien 1819. 10 gr. oder 48 kr. rhn.

Neumann, (Dr.) Abhandlung von dem Brande, die verschiedenen Arten, Ursachen und Heilungs-Methoden des Brandes, an den weichen und harten Theilen des menschlichen Körpers. 1801. gr. 4. 1 Rthlr. 4 gr. oder 2 fl. rhn.

Plenck. (J. J.) Pharmacologia medico-chirurgica specialis. 3 Vol. 8 maj 1804. 3. Rthlr. 4 gr. oder 5 fl. 42 kr. rhn.

— — icones plantarum medicinalium secundum systema Linnaei digestarum. Centuriae VII. Fasciculus 1 à 4. Fol. maj. 1803—1805. 40 Rthlr. oder 72 fl. rhn. netto.

Portal, (A.) Unterricht über die Behandlungsart der Erstickten, Ertrunkenen, des Scheintodes bey Neugebornen, der von einem wüthigen Thiere Gebissenen, der Vergifteten und Erfrornen; nebst Bemerkungen über die Zeichen des Todes, aus dem Französischen mit Zusätzen von D. Humpel. 8. 1793. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

Posch, (Carl) Beschreibung einer neuen sehr bequemen Maschine, das Fußbette genannt. 8. 1774. 5 gr. oder 24 kr. rhn.

Prochasca, (G) disquisitio anatomica physiologica organismi corporis humani, ejusque processus vitalis, cum tab. aen. 4. maj. 1812. 3 Rthlr. 16 gr. oder 6 fl. 36 kr. rhn.

Rasori, (D. G.) Geschichte des epidemischen Fiebers, das in den Jahren 1799 und 1800 zu Genua geherrscht hat, aus dem Italienischen. gr8 1803. 14 gr. oder 1 fl. rhn.

Rust, (J. N.) Arthrokakologie über die Verrenkungen durch innere Bedingungen und die Anwendung des Feuers bey diesen Krankheitformen. Mit Kupfrn. gr. 4. 1817. 5 Rthlr. 8 gr. oder 9 fl. 36 kr. rhn.

Sammlung aller Sanitätsverordnungen in Oesterreich unter der Enns, während der Regierung Sr. Majestät Kai-

ser Franz des I. bis Ende des Jahres 1797, herausgegeben von P. J. Ferro. gr8. 1798. 1 Rthlr. od. 1 fl. 48 kr. rh.

Schmidt, (J. A.) Beyträge zu den Resultaten der Versuche mit der Salpetersäure bey primitiven und secundären syphilitischen Krankheitsformen. 8. 1802. 6 gr. oder 27 kr. rh.

Schmitt, (W. J.) der Andigoulard, in Wahrnehmungen über Mißbrauch und Unsicherheit des Bleyextracts. gr8. 1785. 12 gr. oder 54 kr. rhn.

Schönbauer, (J. A.) Geschichte der schädlichen Kolumbatzer-Mücken im Banat, mit illuminirten Kupfern. gr4. 1795. 16. gr. oder 1 fl. 12 kr. rhn.

Scholz, (Benj.) Anfangsgründe der Physik, als Vorbereitung zum Studium der Chemie nach dem Geiste der Vorlesungen über allgemeine und parmaceutische Chemie an der Universität zu Wien. 2te Aufl. gr. 8. 1821. 3 Rthlr. 8 gr. oder 6 fl. rhn.

Schraud, Beobachtungen aus der Arzneykunde. 8. 1792. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

— — Abhandlung von der Verbindung der Lustseuche mit dem Scharbocke, und dessen Heilungsart. 8. 1791. 6 gr. oder 27 kr. rhn.

— — Vorschriften der inländischen Polizey gegen die Pest und das gelbe Fieber, mit zwey Tabellen. gr8. 1805. 9 gr. oder 42 kr. rhn.

— — (J. v.) Nachrichten vom Scharbock in Ungarn im Jahre 1802, nebst Vorschriften der medizinischen Polizey für nicht ansteckende Volkskrankheiten rc. 8. 1805. 12 gr. oder 54 kr. rhn.

— — (Fr.) de forensibus judicum et medicorum relationibus. 8. 1797. 8 gr. oder 36 kr. rhn.

— — de febribus periodum habentibus observationes novae. 1797. 12 gr. oder 54 kr. rhn.

Schwalt, (Sim.) Tractatus de febribus intermittentibus. 8. maj. 1814. 8. gr. oder 36 kr. rhn.

Serre, (J. J.) Geschichte oder Abhandlung der Zahnschmerzen des schönen Geschlechts in ihrer Schwangerschaft. gr8. 1789. 12 gr. oder 54 kr. rhn.

Slawikovsky, (Dr. Anton) Abhandlung über die Würmer im Menschen. gr. 8. 1819. 20 gr. oder 1 fl. 30 kr. rhn.

Störks, (Anton) medizinische Jahrgänge, aus dem Latein. gr8. 1774. 1 Rthlr. 12 gr. oder 2 fl. 42 kr. rhn.

Tissot, (W.) das kuriose Buch für Menschen. 2ter, 3ter Th. 8. 1789. 1 Rthlr. 8 gr. oder 2 fl. 24 kr. rhn.

Trnka, (W.) Historia cardialgiae omnis aevi observata medica continens. 8 maj. 1785. 20 gr. oder 1 fl. 30 kr. rhn.

— — Historia tympanitidis omnis aevi observata medica continens. 8. maj. 1788. 20 gr. oder 1 fl. 30 kr. rhn.

Troxler, Grundriss der Theorie der Medizin. gr8. 1808. 1 Rthlr. 20 gr. oder 3 fl. 18 kr.

Volta, (J. S.) chemisch-mineralogischer Versuch über die Bäder und Gebirge von Baden, aus dem Ital. von K. Freyherrn v. Meidinger. 1792. 5 gr. oder 24 kr. rhn.

— — neueste Versuche über Galvanismus, Beschreibung eines neuen Galvanometers, und andere kleine Abhandlungen über diesen Gegenstand, mit Kupfern. 8. 1803. 12 gr. oder 54 kr. rhn.

Whites, (K.) über die Geschwulst der Kindbetterinnen an den untern Gliedmassen, a. d. Engl. mit einer illum. Kupfert. 8. 1803. 12. gr. oder 54 kr. rhn.

Wollstein, (J. G.) das Buch von Viehseuchen, nebst Anmerkungen über die Viehseuchen in Oesterreich, und einer Abhandlung gegen das Umbrignen der Thiere bey Seuchen. Neue Auflage. gr8. 1811. 20 gr. oder 1 fl. 30 kr. rhn.

— — tractatus de volnerationibus equorum per arma inflictis pro veterinariis belli tumore, editio secunda. c. fig. 8. maj. 1803. 18 gr. oder 1 fl. 24 kr. rhn.

Zellers, (S.) Bemerkungen über einige Gegenstände aus der praktischen Entbindungskunst. Nebst der Beschreibung des allgemeinen Gebärhauses, mit Kupf. gr8. 1789. 9 gr. oder 42 kr. rhn.

Zimmermann, (Dr. Ferd.) philosophisch-medizinisches Wörterbuch, zur Erleichterung des höheren medizinischen Studiums, 2te veränd. Aufl. gr8. 1807. 1 Rthlr. 12 gr. oder 2 fl. 42 kr. rhn

— — auf Schreibpapier. 1 Rthlr. 20 gr. oder 3 fl. 18 kr. rhn.



